

14
DISSERTATIO THEOLOGICA

De

PRÆGVSTV VITÆ
ÆTERNÆ,

QVA
VERA SENTENTIA DECLARATVR, EA VERO

QVAM

GEORGIVS KEITHVS,

EX QVAKERIS

VNVS, PROPVGNAT, REFVTATVR,

D. O. M. A.

SVB PRAESIDIO

DN. JOH. GVILIELMI BAJERI,

SS. THEOL. D. ET PROF. PVBL.

*Dn. Patroni ac Præceptoris sui ætatem
suspiciendi,*

PVBLICO EXAMINI SUBJICIENDA

AB

AVCTORE ET RESPONDENTE

JOSEPHO Bergmann / SS. TH. STVD.

SCHLAIZA VARISCO,

IENÆ

Ad d.

MAII M. DC. LXXXIV.

Mai 1684



DISSEPTATIO THEOLOGICA
ILLVSTRISSIMO COMITI
AC DOMINO,
D O M I N O
HEINRICO PRIMO,
IUNIORIS LINEÆ RVTHENO,
COMITI AC DOMINO A PLA-
VIA, DOMINO IN GREIZA, CRAN-
NICHFELDA, GERA, SCHLAIZA ET
LOBENSTEINIO &c. &c.

DOMINO MEO CLEMEN-
TISSIMO

OMNIGENAM EΥΠΡΑΞΙΑΝ ET FELICI-
TATEM PERENNEM!

ILLVSTRISIME COMES AC

DOMINE,
DOMINE CLEMENTISIME,

AD pedes TVOS hîc devolvo scri-
ptum, si pondus spectetur, exile
prorsus ac tenue; majus tamen, si
devotissimus clientis animus respiciatur; &
verè maximum, si materiæ pensitetur di-
gnitas. Offero enim dissertationem de PRÆ-
GVSTV VITÆ ÆTERNÆ, ardui non minus,
quam salutaris argumenti. Ecquis bona vi-
tæ hujus fluxæ, suo non habet loco? ast ma-
xima horum est disparitas, quæ mutationē
nesciunt, eadem semper & quantitate &
qualitate persistentia. Sanè cœlum distet à
terrâ quantocunq; spatio, cœlestia terrenis

) (2

bonis

bonis longè distant maximo: Unde si terre-
norum dulcedine inescati homines & gu-
stum minimi horù faciunt plurimi, quan-
tò majoris habenda erunt bona cœlestia, ho-
rumq; prægustus. De his præsens, quâ TIBI,
ILLVSTRISIME COMES, exhibeo, loquitur
diatriba, eaque, quantum tulerunt ingenii
vires, contra frivolas adversariorum stro-
phas munit ac firmat. Quod autem hanc o-
pellam TVO ILLVSTRISIMO NOMINI, CLE-
MENTISIME DOMINE, inscribendâ duxerim,
fecerunt multa. Insigni equidem pietati
TVÆ id omninò primū debebatur, quam do-
cumentis sat plurimis exhibuisti egregiè.
Singularis Numinis Divini amor, eximius
affectus in Religionem orthodoxam, beni-
gna in verbi Divini Ministros propensio,
summa in Musarum cultores liberalitas
TE jam dudum occuparunt, ut non modo
MEN-



MENTI TVÆ ILLVSTRISSIMÆ inesse, sed ve-
rius inhabitare, inq̄ ea sedem sibi ac domi-
ciliū fixisse crederentur. Nihil proinde vi-
debatur æquius, quàm Sacra offerri COMI-
TI PIENTISSIMO. Restant tamen alia longè
plura, quæ mei me commonefecerunt offi-
cii: Schlaicensis sum; TE itaq̄ DOMINVM ve-
neror clementissimū; sub TVIS auspiciis ma-
ximam transegi ætatis partem, in solo TVO
natus & educatus. Subditi igitur devotissi-
mi partes explere nullonon laboravi tem-
pore; sed inveni hætenus nihil, quod tesse-
ram debitæ submissionis meæ erga TE, ILLV-
STRISSIME COMES, sistere valuerit; tantum
enim excedunt Merita TVA in Patriam,
meq̄ subditum collata, vires meæ exiguas.
Sed ne prorsus officio meo deesse viderer, oc-
casionem exercitio Theologico adeptus, ad-
mittere non potui, ut diutius intra carce-



res se meus contineret animus, TIBI humil-
limè inserviendi cupidissimus. Accessit sti-
mulus novus, cùm in mentem revocarem
beneficia TVA, CLEMENTISS. DOMINE, ante
annos aliquot mihi Geræ literis operam,
navanti præstita longè maxima. Studia,
mea amplis tùm per quadriennium fove-
bas subsidiis: TIBI post DEVM Opt. Max.
fortunam prosperam, studiorumq; successus
acceptos unicè fero: TV MÆCENAS exti-
tisti munificentissimus! Quæ si æquâ ani-
mi lance singula, ceu par est, expendo, mul-
tis nominibus me in ære Tvo esse, abundè
video. Ingratissimus proinde mortalium,
audirè meritò, si vel extremis viribus non
anniterer, symbolum devotionis debitæ
exponere. Hoc dum præsentis opella facere
institui, vereor, ne oblatis muneris exilitas
rubore me justo suffundat: certè grates
&

Et plures Et majores TUA, ILLUSTR. COMES,
exigit Gratia: paucas affero, viles offero
studiorum Theologicorum primitias! Eri-
git tamen labascentes manus, factum istius
hominis tenuioris fortunæ, qui Regi suo,
quò gratum testaretur animum, volâ a-
quam haustam obtulisse fertur, gratiam
indè Domini nactus amplissimam. Et ego,
ILLUSTRISIME COMES, pro Beneficiis TVIS
maximis non nisi haustum aquæ limpida
TIBI nunc consecrare videor, quem si solitâ
acceptaveris Gratiâ, erit, de quo mihi im-
pensè gratuler. Age igitur, serenâ susci-
pias fronte, DOMINE CLEMENTISIME,
hasce pagellas levidenses, atque studia im-
posterum mea Et conatus TIBI commenda-
tissimos habeas. Ita fiet, ut indies matu-
riores fructus Nomini TVO ILLUSTRISIMO
parare sim annexurus. Quod reliquum
est,

*est, DEVM fatigabo precibus assiduis,
ut TE una cum VNIVERSA ILLVSTRISSIMA
RVTHENORVM DOMO sospitem præstet
quàm diutissimè, quo in salutem subdito-
rum uberrimam, meumque commodum
maximum ad seros posteros Regimen fe-
licissimè transferre queas.*

Dabam Jenæ d. Maji. Anno
MDCLXXXIV

ILLVSTRISSIMÆ TVÆ
CLEMENTIÆ

humillimus & subjectissimus

J. Bergmann.



α. & ω.

I.

Est sanè hominum ad vitam æternam ac cœlestem conditorum, ut finem suum desiderent, ut *superna quærant ac sapiant*, Col. III. 1. 2. ut *juxta præfixum scopum insequantur ad brabeum supernæ vocationis Dei in Christo Jesu*: & qui πολίτευμα suum in cœlis habent, inde expectent *Iesum Christum Servatorem*, gloriæ supernæ auctorem & collatorem, Phil. III. v. 14. & 20. Dulce autem omninò fuerit in hac viâ nostrâ vitâque laboriosâ ac tristi, sensum aliquem capere securitatis felicitatis, prout Israelitæ ex allatis per exploratores suos uvis, pomisque & ficibus, proventum terræ Palæstinæ, sensu quodammodo perceperunt, antequam immitterentur.

II. Ac si nostratum quidem Doctorum sententias consulamus, certum est agnoscere illos ac fateri, quòd detur in hac vita, & fidelibus ac sanctis divino beneficio obtingat prægustus quidam vitæ seu beatitudinis æternæ. Sic *Lutherus* ipse in Enarr. Psal. XC. quæ extat Tom. VIII. Altenb. fol. 199 & 200: Gott gibt seinen Heiligen und auserwehlten hier auff Erden einen Vorschmack des Himmels und der ewigen Herrlichkeit/und schenckt ihnen ein Trüncklein der Himmlischen Freude und Seligkeit. Sic *B. David Chytraeus* in libello egregio de Morte & Vita Æterna plus simplici vice mentionē facit *inchoationis vitæ æternæ sive Beatitudinis in hac vita, inchoationis & gustus vitæ æternæ*, deque his piè docteq; & eleganter differit, pag. 176. conf. p. 182. 211. 217. 218. *Joh. Matth. Meyfartus* autem lib. Germ. de cœlesti Hierosolyma, cap. III. prolixius ostendit, daß bey den Frommen das ewige Leben in dieser Welt sich anfahet: p. 28. seqq. Aliàs autem πρόγευμα, πρόσγειον & προποτισμόν beatitudinis cœlestis in hac vita, in scriptis Theogorum-

A

gorum-

gorum dogmaticis, exegeticis, polemicis, asceticis plus millies memorata deprehenderis.

III. Solent autem eò referri dicta pariter & exempla varia S. Scripturæ, v. g. ex V. Testam. Psal. XXVII v. 5. & XXXI. v. 21. ubi Deus dicitur *pios deducere in tabernaculum suū*. vid. *Meyfart. l.c. Ps. XXXIV. v. 9.* ubi homines jubentur *gustare & videre, quam suavis sit Dominus*. vid. *Bak. ad h. l. Gerhard. L. de V. Æ. c. II. §. 19. p. 744. Pl. XC. v. 16.* ubi oratur Deus, *ut ostendat servis suis opus suum & gloriam suam filiis eorum*. vid. *Luth. l.c. Ex N. Testam. huc referuntur loca Job. XVII. v. 3.* ubi *vita æterna collocatur in cognitione Dei Patris & quem is misit, Jesu Christi*, atque ita communem futuræ vitæ & inchoationis vitæ æternæ in hac præsentis vita definitionem tradidisse Christus creditur. vid. *D. Chytr. l. c. p. 176. Conf. Gerb. Loc. de V. Æ. c. I §. 7. p. m. 719. Rom. VIII. v. 23. & 24.* ubi fideles in hac vita *primitias Spiritus habere & per spem salvi esse dicuntur*. Vid. *B. G. Mylius ad h. l. Ebr. VI. v. 6.* ubi *conversis tribuitur gustus virtutum futuri seculi*. vidd. *Hunnius, Balduinus, Gerhardus, Hornejus. II. Petr. I. 4.* ubi *renatis tribuitur κοινωνία τῆς Θείας φύσεως*, participatio *divine nature*. Vidd. *Osiander & Gerhardus ad eundem locum.*

IV. Inter exempla eorum, qui in hac vita gustaverint beatitudinem alterius vitæ, recensentur (1) Discipuli Servatoris & spectatores glorificationis ejus, *Petrus, Jacobus & Johannes*, quibus in actu transfigurationis Christi quædam obtigerint, quæ beatæ atque æternæ vitæ sunt propria, quod etiam indicent verba Petri: *Domine bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula &c.* vidd. *Brentius ad Matth. XVII. v. 4. M. Chemn. in Harm. C. LXXXVII. p. 167: L. Osian. ad Matth. XVII. Marc. IX. & Luc. IX. Hunnius ad Matth. XVII. & Gerhardus ad locum eund.* (2) *Stephanus* videns cælos apertos, & *Jesum stantem à dextris Dei*, *Act. VII. v. 56.* vidd. *Brentius & Gerhardus ad h. l.* (3) *Paulus* in tertium cælum raptus, & inenarrabilia percipiens, qui utrum tunc temporis intra corpus, an extra illud fuerit? nescire se profitetur, *II. Cor. XII. v. 2-3-4.* vidd. *Hunnius & Balduinus ad h. l. Gerhard. T. VIII. L. de vita æterna cap. II. §. 19. p. m. 744.*

V. Quod si res postularet, possemus etiam Reformatos ac Pontificios, qui & ipsi *πρόγευσιν* seu prægustum aliquem æternæ vitæ in hac vita agnoscunt, adducere. Verùm id potius agendum est, ut veram prægustus illius, qui reverà hominibus obtingit, atque à Nostratibus agno-

agnoscitur, rationem & causas exponamus, eam sententiam probe-
mus; adversariorum autem, præsertim eorum, qui Quakeri, denomi-
nantur, plura ac majora, quam quæ præstare possunt, temere pollicen-
tium, errores à vera sententia distingvamus ac refutemus: denique
usum veræ doctrinæ in praxi Christiana ostendamus.

VI Primò omnium igitur hîc evolvendi sunt termini, atque
explicandum, quid nomine *beatitudinis* seu *vite æternæ* in Scripturis
denotetur; quidque vox *præustus* ex usu loqvendi significare possit &
soleat.

VII. Beatitudinis quidem distinctam, plenamque notitiam
in hac vita dari, non est cur dicamus, prohibente videlicet ipsâ Scri-
pturâ; quæ *nondum apparuisse* dicit id, quod *futuri sumus*. I. Job. III. 2.
Oculum non vidisse, neque aurem audivisse, neque in cor hominis ascendis-
se, quod Deus preparavit diligentibus se: juxta Pauli ex Esaiaë prophe-
tia desumptam sententiam I. Cor. II. 9. Interim, sicut vulgo nomi-
ne beatitudinis humanæ intelligitur hominis, tanquam naturæ ratio-
nalis plena aut consummata felicitas, quam aliàs *summum Bonum*, at-
que *ultimum* actionum rationalis naturæ *Finem* esse dicunt, & in *vita*
ejus *perfecta* seu operatione homini maximè congrua, & circa obje-
ctû nobilissimû occupata actione perfectissima, cum aggregatione cæ-
terorum bonorum sive qualitatuum aut perfectionum, toti supposito, ac
non solùm animæ, sed & corpori, ejusque potentiis maximè convenien-
tium consistere perhibent; Ita æternæ illius vitæ aut beatitudinis non
planè nullam notitiam Deus nobis concessit, verùm ipsis modo cita-
tis locis revelationem ejus aliquam nobis exhibuit. *Scimus*, ait Johan-
nes, de se & aliis *Dei filiis, quod si apparuerit, similes eierimus, quoniam vide-*
bimus eum sicuti est. Et Paulus I. c. addit: *Nobis vero Deus revelavit per*
Spiritum suum; & sicuti hæc quidem ab illo de quibuslibet mysteriis
fidei Christianæ dicta sunt, ita Cap. XIII. v. 12. statum hujus vitæ & vitæ
alterius secuturæ inter se comparans; *Cernimus*, inquit. *nunc per spe-*
culum in enigmate; tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte,
tunc vero cognoscam, quemadmodum & cognitus sum. Ex quibus Nostra-
tes, licet aliàs agnoscant, beatitudinem, si quoad *integritatem* suam spe-
ctetur, non solùm in actibus animæ circa Deum occupatis, verùm eti-
am in aliis dotibus ac perfectionibus, quæ corpus & potentias ejus
ornabunt, v. g. spiritualitate, impassibilitate, agilitate, claritate corpo-
rum

rū, sensuumq; ipsorum glorificatione consistere, et beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, easdem partes futurae gloriae docente Apostolo I. Cor. XV. v. 40. 41. 42. 43. 44. 49. conf. *Matth. XIII. v. 43 Phil. III. 21.* tamen *essentiam* beatitudinis, seu illud, quo Deum, tanquā summum bonum consequimur & possidemus, in clara aut intuitiva visione Dei, quā Deus nobis intimē præsens & conjunctus fiat, quatenus intellectus lumine gloriae elevatus ipsam divinam essentiam, & quæ in Deo insunt actu & formaliter, immediatē aut in se, citra species intelligibiles, cognoscat; ac nos hac ratione Deo maximē similes fiamus, consistere colligunt: quamvis & hanc Dei visionem non intra intellectū se continere, ut non potiūs etiam voluntatem afficiat, in eaque ardentissimum, summum & incessabilem Dei amorem excitet, atque hinc delectatio & voluptas ineffabilis oriatur; ultrò agnoscant ac profiteantur.

VIII, Quod ad *gustandi* aut *prægustus* notionem attinet, notum est, verba ad sensum externum proprie pertinere, eum videlicet, quō sapes sive qualitates corporis mixti ab humido aqveo & sicco terrestri à calore mediocri coctis ortæ percipiuntur: seu (ut *Petrus Gasendus* L. d. sens. c. 2. contendit,) *quo corpuscula rei sapida afficienda lingua idonea sic exprimuntur, ut in meatulos lingvæ subeant, & dispersos per membranā ejus nervulos moveant, & per resiliētes in cerebrum spiritus motionem sentienti facultati renuncient.* Quorum sicut accuratiorem investigationem ac judicium Phycis relinqvimus, ita omninò certum esse credimus, *τὸ* *gustare* proprie rerum materialium esse. Quemadmodum autem vocabula sensuum externorum ad animam rationalem ejusque facultates immateriales & operationes proprias designandas frequentissime adhiberi solent; sic Scripturam pariter ac Theologos hoc loco vocabulum *gustandi* metaphoricē usurpare constat. Regnum Dei enim *non est cibus & potus*, ut propriē loquendo gustetur: juxta illud *Rom. XIV. 17.* adeoque gustare aut prægustare beatitudinem, est intelligentiam, experimentum aut fruitionem bonorum vitæ æternæ spiritualium mente aut animo antecapere; prout aliās etiam in ipsa scriptura *τὸ* *gustare* cum ad mentem refertur, idem est ac *intelligere, experi-ri, frui*, vid. *Flacius* in *Clave & Glasius* Rhet. S. Tract. I. c. XII. 360. (1305) *Edoardus Leig.* in *Criticis* S. voce *τὸ* P. I. p. 84

IX.



IX. Solet autem circa vocabula *γεύω* & *γεύομαι*, quæ in sacris
occurrunt, & Latino *gusto* respondent, à Philologis observari, quòd
cum propriè accipiuntur, aliquando quidem denotent actum,
quò rei sapidæ paululum sumitur, & linguâ ac palatò aut pri-
mis, quod ajūt, labris, qualitas aut sapor ejus tentatur; Vid. *Job. XII. 11*
Matth. XXVII. 34. quò posteriore loco, *ἵνα γούσῃτε & bibere* à se invicem
distinguuntur; aliàs autem actum ipsum comedendi aut bibendi
quo cibus aut potus intimè recipitur & in succum ac sanguinem cõver-
titur, significant: Vid. *Prov. XXXI. 15. Act. X. 10. & Cap. XX. v. 11.* At-
que hâc ratione, quando verba ista ad actiones mentis significandas
transferuntur, cumq; de gustu aut prægustu beatitudinis in hac vita
sermo est, disquiri cœpit: utrum ipsa essentialis beatitudo, seu visio
Dei beatifica, id est, clara & omnem speciem ac medium excludens
atque ad eò immediata illa Divinæ essentia cognitio? an analogum
quiddam & illustre signum ejus, in hac vita hominibus obtigerit?
Quorum *illud ἵνα γούσῃτε*, posteriore modo; *hoc eidem, sensu priore ac-*
cepto, vi metaphoricæ locutionis respondeat. Sed prius quam de
his agamus pleniùs, de causis efficientibus, impulsivis ac subjectis
gustus aut prægustus illius, quædam præmittemus.

X. *Causam efficientem principalem esse Deum optimum maxi-*
imum, Patrem luminum, à quo omnis donatio bona & omne donum per-
fectum descendit, juxta *Jac. I. v. 17.* dubium esse non potest. Ille e-
nim Creator, Restaurator & Salvator noster est, ille *glorificat electos suos*
Rom. VIII. 30. dat filiis suis regnum, Luc. XII. v. 32. Dat vitam eter-
nam, *Job. V. 11.* ita ut hæc ideò *χάρισμα* aut *gratuitum ejus donum* di-
catur *Rom. VI. v. 23.* Cui ergò alii adscribamus, si quando hominibus
adhuc in via constitutis, atque ad eò velut ante tempus, secutura
beatitudinis gustus concedatur? Atque hîc quidem perinde erit, (et si
aliàs plurimum intersit, ut infra videbimus,) sive prægustum hunc
beatitudinis, in ipsa intuitiva Dei visione, sive in gratiosis ad sphæram
hujus vitæ pertinentibus donis, colloces. Utrinque enim, sicuti do-
na atque operationes supernaturales agnosci debent, ad quas sese na-
turales hominum vires elevare ipsæ non possunt; ita si alterutrum ex
his contingat, quem alium, nisi Deum, infinitâ virtute pollentem,
beneficii tanti auctorem dixeris?

XI. Deum autem dum nominamus, non est, cur ad unam præcisè personam, cæteris exclusis, hoc opus restringamus. Nam & creatio nostra & sanctificatio seu renovatio & ipsius vitæ æternæ plena collatio tribus personis communis est; ac res ipsa loquitur, opera illa, quæ à bonitate & potentiâ unius essentiæ divinæ unâ atque indivisâ proficiuntur & in creaturis terminum realiter productum habent; in quorum numero utique est inchoatio seu participatio beatitudinis æternæ in hac vita, à Deo trinuno pendere: nisi quòd Spiritui Sancto, cui sanctificationis opus, quòd in hac vita inchoatur, in alterâ perficitur, per appropriationem, quam vocant, aliàs tribui solet, in eamque rem videri potest *Catechismus* noster in explanatione *articuli III. Symbolici Apostolici*; etiam collatio prægestus vitæ æternæ hâc ratione peculiariter tribui potest.

XII. *Causam impulsivam internam* si quæras, facilè hîc sese offeret Gratia, sive favor gratuitus, Bonitas, & *Φιλανθρωπία* Dei, quâ Deus inductus, sicut justificat & hæredes salutis constituit, tandemque salvat, ita salutis futuræ gustum, beneficium non minùs indeditum, eâdem impellente Gratiâ aut Bonitate suâ summâ, in antecessum conferre, censerî debet.

XIII. *Causam impulsivam externam* seu meritoriam, Christum mediatores, aut obedientiam & meritum ejus sanctissimum, fide verâ ac vivâ ab homine apprehensum, esse credimus, scilicet quod Deus, quemadmodum *in Christo*, velut mediatore agnito seu, propter meritum ejus fide apprehensum *elegisse*, in eoque aut ejus, velut moventis aut impellentis, causa, *omni benedictione spirituali nos benedixisse* dicitur *Eph. I. 3.4.* sic ejusdem meriti intuitu insignem illam benedictionem largiri velit, ut præsentiscere possint beatitudinem, quos ipse posthâc eâ perfundere vult ac satiare.

XIV. Eorum itaque sententiam, si qui hominem suis operibus bonis, eorumque dignitate aut virtute movere Deum ac mereri posse putant, ut vitæ æternæ sensum aut gustum quendam in hac vita antecapiant, (quò fortasse Monachalis quorundam Ascetarum, qui per viam *purgativam* & *illuminativam* ad eam, quam *unitivam* vocant, non sine fiducia priorum meritorum contendunt, fastuosa præsumptio pertinet,) procul hinc esse jubemus, & gratiæ Dei ac merito Christi tantum detrahere, quantum operibus aut sanctitati suæ tribuunt, judicamus.

XV.



XV. Sed si quædam inter eos, qui prægustu beatitudinis donati sunt, inæqualitas, ac singulare quiddam uni aut paucis, præ aliis, divinitus collatum deprehendatur, (de quo mox videbimus,) quamvis & illuc negari non debeat, quicquid cuique boni spiritualis ejusmodi obtingit, id per Christum ac vi meriti ejus obtinere; tamen ubi quæstio comparative formatur, & præcise quæritur, quare motus aut impulsus Deus, huic peculiare quidpiam dederit, quod alteri, ut ut æque fideli ac dilecto, non largitur? seu quare huic futuræ beatitudinis revelationem ac sensum abundantio-rem, quam alii, communicet, cum meritum Christi unicum utrinque æque apprehensum fuerit? satius fore existimamus, si Divinæ sapientiæ rationes suas nobis inpervestigabiles relinqvamus, quam ut has irreligi-osa curiositate scrutemur, aut temerario ausu definiamus. Quamvis enim diversam dedisse videri quandoq; possit; (quod rursus ex infra dicendis cognosci poterit) finem tamen à causâ impulsiva ut aliàs, ita & hinc non malè distingvemus.

XVI. De causa instrumentali, quâ efficiens principalis utatur ad producendum in hominibus gustum, aut participationem quandam securæ vitæ beatæ, hinc dispiciendum venit. Quamquam enim, cum Deus posthanc vitam hominibus lumen gloriæ donat, & hoc ipso intellectu ad intuitivam sui (Dei) cognitionem elevat & perducit; immediate, seu non adhibitò organò aut instrumentò, id præstare credendus sit; in hac autem vita ad conferendam hominibus fidem verbò & baptismi sacramento, tanquam instrumentis utatur, (quod à Nostratibus receptum, atque aliàs probatum, hinc tantisper supponimus, donec infra data occasione uberius ostendatur ac vindicetur;) de collatione tamen prægustus beatitudinis in hac vita, dubium superesse potest, saltem quatenus in quæstionem venit; utrum prægustus ille beatitudinis ipsam visionem Dei claram, licet momentaneam, aut parvi temporis, veram tamen, importet; a deo quæ sicut visio ipsa alterius vitæ (à qua tantum duratione differat) sine instrumento verbi externi aut sacramenti baptismi immediate conferatur? an vero prægustus ille actus alios, ab ipsa beatifica visione, & quæ cum ea per se conjuncta sunt, revera distinctos, etsi quodammodo similes, importet, atque ad genus actuum cæterorum spiritualium hujus vitæ pertineat, ideoque

que ad modum eorundem, mediante verbo, tanquam instrumento, produci soleat? Qua ratione porro disputari solet; utrum, si maxime prægustus beatitudinis non priorem sed posteriorem obtineat formam aut rationem, tamen immediate potius, quam mediante organo verbi conferatur? quasi videlicet ea, quæ mediante verbo velut medio aut organo fiunt, eo usque se non porrigant, ut sensum futuræ beatitudinis inferre queant. Verum ut hinc certi quiddam statuatur, & clare satis appareat; de *Subiecto & Forma* prægustus, quem scrutamur, differendum prius esse existimamus. *vid. inf. §. XLV. sqq.*

XVII. *Subiectum* autem hinc, ut alias, duplex contemplandum est: *Quod & Quo*, sive ut alias loquuntur, *subiectum Denominationis & Inhesionis. Illud*, suppositum denotat, quod in casu recto gustare aut prægustare beatitudinem denominatur. *Hoc*, partem eam aut facultatem, (unam aut plures) importat, secundum quam, (aut quas) homo qui gustat, gustare beatitudinem deprehenditur.

XVIII. Sunt ergo *subiectum Quod* prægustus beatitudinis, homines verè fideles, renati s. conversi & iustificati; quemadmodum Paulus eos, *qui sunt in Christo Jesu*, (sunt autem per fidem in Christum; neque aliter in eo esse possunt) *qui non juxta carnem ambulant, sed juxta spiritum*, Rom. VIII. 1. *primitias Spiritus habere, & spe salvatos esse*, pronunciat. Ibid. v. 23. & 24. Et rursus in Ep. ad Ebr. Cap. VI. v. 4. 5, de his *qui poenitentiam egerunt ab operibus mortuis, & fidem habent in Deum* (vers. 1) *qui que illuminati sunt spiritualiter*, affirmat Apostolus, quod *gustaverint*, sicut *donum cælestis & bonum Dei verbum*, ita quoque *virtutes futuri seculi*. Certum autem ex adverso est, eos qui *animales* sunt, *spiritum non habentes*, (quales Judas describit vers. 19.) adeò alienos esse à prægustu beatitudinis, ut vel aperte eum pro ludo aut joco habeant; vel si maxime *μὲν ὄντων* seu *formam* quandam pietatis, ac spiritualis vitæ habeant, *vim* tamen ejus internam negent aut non experiantur; juxta illud II. Tim. III. 5.

XIX. Cæterum Reformati hinc quidem nobis occurrunt, *subiectum* prægustus beatitudinis nimium coarctantes, & ad electorum s. immutabili decreto Dei salvandorum cœtum restringentes; quos Nostri ex hoc ipso loco Ebr. VI. 4. erroris facile convincunt, scilicet, quod manifestè illuc docetur, fieri posse, & aliquando solere, ut hi ipsi, *qui virtutes futuri seculi gustarunt*, denuò *prolabantur, atque ab integro cruci-*

cifgant sibi metipsis Filium Dei, & in libro exponant, nunquam renovandi ad penitentiam, reprobi potius ac maledictioni obnoxii: vers. 6. & 8. Unde recte colligitur, etiam fideles *ω ποσ δέ σεις*, dum adhuc fideles sunt, capaces esse prægustus vitæ æternæ. Ac legi in hanc rem merentur, quæ scripsit B. Feuerbornius contra Piscatorem, Paræum, Philippum Cæsarem & Raphaelum Eglinium, Reformatos. Tom. VII. Dispp. Gieß. Disp. XIII. §. 7. seqq. p. 187. seqq. & Disp. XVI. §. 194. seqq. p. 400. seqq.

XX.. Subjectum Quo seu inhæssionis *πρωτος* vitæ æternæ, est Anima rationalis ejusq; facultates, Intellectus & Voluntas. Quatenus enim illa perceptionem spiritalis objecti importat, sensui externo gustus respondentem, eatenus ad intellectum pertinet; quatenus autem idem hic noster prægustus est rei maximè amabilis seu dulcis, quæ non simpliciter sed cum oblectatione percipiatur, imo ipsū *τὸ* gustare idem est, ac suaviter affici ex percepta seu cognita bonitate objecti, sic ad voluntatem utiqve recte refertur. Solet huc referri, partim quod David, Psal. XXXIV. v. 9. *τὸ* gustare & *τὸ* videre conjunxit, quorum utrumqve ex intentione sacri scriptoris sensu metaphoricò acceptum, ad intellectum formaliter pertineat: partim quod Paulus Rom. VIII. v. 23 prægustum beatitudinis exponens idem esse dicat, ac *spe saluum* factum esse, *spem* autem esse motum facultatis appetentis, ipsiusqve voluntatis sive appetitus rationalis, extra controversiam esse videtur.

XXI. Caterum quæstio hæc etiam oritur: an? & quomodo in prægustu illo beatitudinis etiam corpus hominis afficiatur, ita ut subjectum prægustus illius, saltim secundarium & per participationem, dici queat? Sane huc referri à nonneminè solet, quod Psalmo LXXXIV. v. 3. dicitur: *Cor meum & caro mea exultant ad Deum vivum.* Item quod Proverb. XX. vers. 27. legimus: *Lucerna Jehovæ est animus (vita) ejus, quæ investigat omnia interiora ventris: hoc nonnulli reddiderunt: à Deo exhilarari, vita est; & penetrat totum corpus: scilicet quod solatium Dei, dum halitum vitæ cœlestis & gaudii spiritalis largitur, simul etiam cor nostrum, totumqve corpus penetret: ac dum animæ benè est, corpori quoqve benè sit: prout ex adverso corpus exhauriatur & arescat, quando anima mœrore afficitur.* Verùm & hæc ex infra dicendis rectius dijudicabuntur. *Vid. inf. §. LXVII.*

B

XXII.

XXII. Nempe nunc quidem res postulat, ut ipsam Formam auctorem rationem formalem prae gustus vitae aeternae declarem, ubi primum quidem in removenda falsa sententia Enthusiatarum, sive Quakerorum, imprimis Georgii Keithi; deinde in adstruenda vera, quam Nosstrates profitentur, doctrina & conciliandis, quatenus inter se discrepare videntur, quorundam dictis ac sententiis, occupabimur.

XXIII. Is ergo, quem modo diximus, Georgius Keithus, qui se Roberti Barclaji Amicum & fratrem in causa veritatis & Compatriotam, atque ex eis unum, qui contemptim Quakeri appellantur, dicit; cum Dissertationi primae Dn. Praesidis contra Quakeros, Anno superiore MDCLXXXII habitae, Amicam Responsonem, quam vocat, pararet, ostensurus optimam Consistentiam & Harmoniam Revelationis & Inspirationis internae & immediate cum sacra Scriptura aliorumque mediolorum usu & exercitio; inter alia Cap. II. p. II. Fatemur, inquit, suo & suorum nomine, in specialibus religionis Christianae capitibus & doctrinis externam Sacra Scriptura revelationem, nobis aliisque omnibus necessariam esse non tantum necessitate praeccepti, (quod in omnibus obtinet,) sed etiam necessitate medii. Quam in rem cum multa attulisset: Queri hic tandem fortassis posset; (ait, p. 12.) quid denique relinquatur à solo Spiritu sancto intus illuminante, inspirante & revelante manifestandum, scripturis ipsis in talibus revelatis, nedum ut mediis & instrumentis, proximè saltem & formaliter in ipso actu, concurrentibus? & respondet: Experimentalis & sensibilis Dei cognitio, non sensibus externis, sed intimis & spiritualibus obvia, quam ipse Deus in Christo & ipse Christus in vita sua, luce, lumine, virtute & Spiritu quam intimè sentitur, videtur, auditur & quam suavissimè supra omnem hominis naturalis conceptum gustatur &c. Ad cuius rei pleniorum Explanationem pag. 13. notari jubet, duplicem esse rerum tam naturalium & visibilium, quam rerum divinarum & invisibilium cognitionem, unamque (legendum videtur, unam, quae) non per res ipsas, sed per signa rerum habetur, quae quidem sit abstractiva, remota & media, ideoque admodum obscura; alteram, quae non per rerum signa, sed per res ipsas immediate perceptas obtinetur, & hanc esse intuitivam, proximam & immediatam, adeoque longe praeter alteram illam preclarissimam & jucundissimam. Deinde notari jubet, omnia verba & nomina a Deo quae etiam verba & nomina scripturae non essent ipsas divinas, sive Deum ipsum, nec Christum, nec ipsam

IIXX

ipsam



ipsam lucem, vitam & virtutem Dei proprie dictam, nec Spiritum
Dei, nec amorem illum Dei, pacem & gaudium Dei, nec iustitiam
& sanctitatem & regnum Dei, si proprie & absque figura loqui velimus.
Quod si (ait deinde, postquam exemplum cognitionis naturalis du-
plicis adduxisset.) rem aliquam naturalem & visibilem videre & per se
ipsam, ultra & supra signa verborum, vocum, & nominum quorumcunque
percipere longè clarior, iucundior & desiderabilior scientia est, quàm de ea re
per externa verborum & vocum signa legere, audire & meditari, quanto
magis nobilior iucundior, clarior & desiderabilior cognitio ea Dei & Chre-
sti est, quàm ipse Deus & Christus in corde credentis videtur, auditur, olfit, sen-
titur, tangitur, & intimis anima medullis suavissimisque amplexibus appre-
henditur. Nec est, quod quis mihi objiciat: talem scientiam Dei non esse sancto-
rum in vita mortali, sed cœlis & seculo futuro reservatam. Respondeo enim,
quod primitiæ, pignus & arrhabo talis cognitionis & beatitudinis sanctis in
vita mortali, a deo communicentur, quod tùm ex multis scripturæ locis tùm
ex multorum millium sanctorum, in omni seculo experientis abundè patet.
Atque ita porrò pag. 14. contendit, Deum (in hac vita nostra) in Chri-
sto & cum Christo, in alto omnium verborum silentio, tam interno quàm ex-
terno, seclusis etiam discursivis animi cogitationibus & ratiocinationibus
quibuscunque ad tempus quoddam, multò melius, clarius & iucundius senti-
ri & cognosci, quam per omnia verba, quæ lingua hominum aut Angelorum
unquam protulerint. Eadem l. c. longiùs persequitur & infra Cap. VIII.
p. 33. denuò inculcat.

XXIV. Ex adverso Nostrates persuasi atque apud animum
certi sunt; talem scientiam Dei, quæ intuitiva & immediata est, seu quæ
Deus in Christo & cum Christo, secluso omni verbo tam interno quam externo,
seclusis etiam discursivis animi cogitationibus & ratiocinationibus quibus-
cunque sentitur & cognoscitur, utique non esse sanctorum in vita mortali, sed
cœlis & seculo futuro reservatam: Quod autem ad primitias, pignus
& arrabonem talis cognitionis & beatitudinis, quæ sanctis in vita
mortali communicentur, attinet; equidem non negant Nostræ,
hac reverà conferri; negant autem, ea importare intuitivam
Dei visionem, atque à beatitudine futura tantùm ratione duratio-
nis differentem, seu per hoc, quòd, cùm beatitudo visionem Dei
perpetuam, incessantem & æternam inferat; primitiæ ejus
visio-

visionem Dei eandem, sed ad tempus quoddam concessam, impo-
rent.

XXV. Nititur autem sententia nostra negativa ipsis S. Scri-
pturæ testimoniis, quibus negatur, intuitivam Dei cognitionem no-
bis in hac vita obtingere. Clarissimus est locus I. Cor. XIII. v. 12. Ubi
Apostolus collationem præsentis & futuræ vitæ, quoad cognitionem
rerum spiritualium ac divinarum, circa quas prophetia & fides oc-
cupetur, ex professo, quod ajunt, instituens, dicit: *Videmus nunc per
speculum in ænigmate; tunc verò cognoscam, quemadmodum & cognitus
sum.* Opponuntur ergò hoc loco τὸ βλέπειν δι' ἐσόπτρου, *videre per
speculum; & βλέπειν πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, videre facie ad fa-
ciem;* quorum illud, desumptum à speculo, quod non rem ipsam, sed
imaginem tantum ejus intuentibus objicit, ad cognitionem Dei &
rerum divinarum designandam translatum, idem est, ac cognosce-
re Deum & ea quæ sunt Dei, non in se, sed velut in imagi-
ne, mediantibus signis ac speciebus impressis, quæ vel à re-
bus creatis desumptæ sunt, vel per inspirationem internam, vel per
verbum externum seu vivæ vocis seu scripti, quò Deus & res divinæ
potentiæ cognoscitivæ repræsentantur, obtingunt: posterius autem,
seu τὸ videre facie ad faciem, sicut propriè loquendo idem est, ac rem
ipsam, non intercedente aliquâ ejus imagine, quæ vicem rei ipsius su-
stinens, oculo nostro objiciatur, cernere; ita ad cognitionem Dei trans-
latum, idem est, ac Deum per se immediatè & absque specie impres-
sâ cognoscere. Itaque vi oppositionis inter id, quod *nunc* est, atque
aliquando *abolebitur;* & id, quod *nunc* non est, sed *tunc* demùm
posthanc vitam, abolitâ imperfectione hujus vitæ, futurum est; neces-
sariò colligitur, visionem Dei claram, seu immediatam & intuitivam
essentiæ divinæ & quæ in ea formaliter sunt, cognitionem, ita refer-
vatam esse vitæ futuræ, ut prorsus non habeat locum in hac vita, ac
temerarium sit atque irreligiosum, hominibus aliquid in hac vitâ ob-
tinendum polliceri, quod Deus ipse non in hac vita, sed tandem
posthanc vitam, expectandum testatus est. Cumque Apostolus se
ipsum etiam eorum numero comprehendat, qui non de facie ad fa-
ciem, sed per speculum in ænigmate cognoscant; quâ fronte fide-
libus quibuslibet sublimior in hac vita cognitio Dei tribuitur?
Cognitio, inquam, Dei in hac vita, quanta quanta est, intra
genus

genus cognitionis abstractivæ, quæ intuitivæ contradistinguitur & opponitur, subsistit, juxta Apostolum; tantum abest, ut præter abstractivam, etiam intuitivam complectatur. Neque distinctio inter cognitionem intuitivam, quæ ad tempus, & eam, quæ sine fine, seu incessanter atque æternùm concedatur, citra manifestam absurditatem huc accommodari potest: cùm Apostolus cognitionem Dei intuitivam non solum non perpetuam, sed prorsùs non, locũ habere in hac vita pronunciet.

XXVI. Æquè clara, si non clarior, est sententia S. Johannis, qui I. Ep. Cap. III, v. 3. scribit: *Charissimi, nunc filii Dei sumus, sed nunc nondum apparuit, quid futuri simus, scimus autem, quòd cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Videre Deum sicuti est, est Deum intuitivè cognoscere. Hoc autem quando *nunc nondum apparuisse* dicit Apostolus, simul dicit, hoc nondum in hac vitâ cuiquam obtigisse; negat, sibi & quos *charissimos suos* vocat, filiis Dei contigisse. Quod si verò saltem ad tempus concederetur in hac vitâ filiis Dei, visio intuitiva Dei; sanè apparuisset hætenùs, quid futuri simus: ac futurus ille status ei, quod jam hætenùs adfuit, tantùm constantiam aut perpetuitatem adderet. Atqui Apostolus rotundè negat, nunc apparuisse, quid futuri simus.

XXVII. Sed Georgius Keithus affirmativam suam sententiam tum ex multis scripturæ locis, tum ex multorum millium sanctorum in omni seculo experientiis abundè patere dicit. Imò ipsas internas operationes, inspirationes & illuminationes sancti Spiritus, argumenti loco citat, quæ dum adsint in cordibus fidelium sine aliquo externò monitore, aut signo verborum quorumcunque, evidentiam sibi ipsis faciant, certissimamque & clarissimam sui ipsarum cognitionem in animis eas possidentium ingenerent. Triplici ergo adversus nos exercitu pugnat. Inter loca Scripturæ memorat Ps. XXXIV. v. 8. I. Petr. II. v. 3. Matth. V. v. 3. II. Cor. III. v. 18. Eph. I. v. 17. 18. Ad experientiam atque Exempla sanctorum, quorum multa millia ex omni seculo præsto esse jactat, procul dubio ea referri vult, quorum pag. 24. & 25. fit mentio, nempe Platonis, Plotini & aliorum apud Philosophos; Apostolorum apud Christianos, & post Apostolos, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Clementis Alexandrini, Origenis apud Græcos; & aliorum multorum; apud Latinos autem Augustini & Hieronymi à multis ante seculis; & apud recentiores Bernardi, Thauleri, Thomæ à Kempis, Harphii, Rusbrochii & Authoris Theologie Germanicæ, ad cuius librum Lutherus præfatus sit,

cum-

cumque multum laudaverit. Hi omnes, ait, & alii passim mystici Authores & Theologiae mysticae Scriptores, cognitionem quandam Dei praedicant, quae absque verbis quibuscunque habeatur, per internum quendam Dei, rerumque divinarum gustum & contactum sensibilem in animis & cordibus eorum, qui debitum puritatis & sanctitatis statum, ad talem cognitionis gradum requisitum sunt assequuti; His ergo subjungendum erit, quod superiore loco denique addit, cognitionem illam Dei intuitivam cuique hominum, qui eam possidet, praesentiam sui indicare posse ac solere.

XXVIII. Quibus ut respondeatur, parum equidem laboris requiritur, modo statum quaestionis recte teneamus. Scilicet in adductis Scripturae locis nullus est, qui dicat, vitae aeternae praegustum in hac vita consistere in intuitiva Divinae essentiae visione. Psalmô XXXIV. jubentur homines gustare & videre, quam suavis sit Dominus: sed quod gustandus sit in hac vita per immediatam & intuitivam essentiae suae contemplationem; non dicitur. Nam nec proprietas literae hinc urgeri potest; cum Dominus gustandus & videndus, non sit objectum sapidum & coloratum, gustu aut visu proprie dicto perceptibile, quod Keithus ipse concedet: & si à propria verborum significatione discedas, quid aliud superest, nisi quod jubentur homines cognoscere bonitatem divinam, & si emphasin in verbis metaphoricis urgeas, dicendum erit, juberi homines, ut recte ac diligenter, non obiter & quasi aliud agendo meditentur, ac meditando cognoscant, experiantur & cum oblectatione percipiant bonitatem divinam: quae quidem perceptio ipsius bonitatis divinae, nascitur ex effectibus ejus ad animum revocatis, quod contextus docet: v.g. quod Jehova exaudit quærentes; quod eripit eos ex omnibus timoribus, v. 5. quod respicientes seu confugientes ad illum, illuminantur, & facies eorum non officitur pudore, v. 6. quod pauper clamans auditur à Deo, & ex omnibus angustiis servatur, v. 7. quod Angelus Jehovae castrametatur circum timentes eum, & eripit eos, v. 8. quod non est penuria timentibus eum, v. 10. quod quærentes Jehovam non carent ullo bono, v. 11. Atqui talis cognitio, gustus & visio bonitatis divinae, non fit citra discursum, & ad genus abstractivae cognitionis utique recte refertur. Nec malè monuerunt Scripturarum scrutatores quidam, opponi gustum & visum illum negligentiae & stupiditati eorum hominum, qui rerum terrenarum curis inten-

intenti ac deliciis inescati, ad argumenta divinæ bonitatis tam multa tamque insignia, & ubivis obvia, aut oblata, non attendunt, sed quasi cæci aut luscii, objecta præsentia & clarissima non videant; quasi gustu destituti, ad præsentis epulas lautas & opiparas accedere ac dulcedinem earum explorare nolint: unde gustum ipsum & visionem, hoc locò præcepta, intra genus accuratioris, abstractivæ tamen & discursivæ cognitionis consistere, rectè omninò creditur.

XXIX. Eadem est ratio verborum Petri I. *Ep. Cap. II. v. 3.* *si tamen gustastis, quàm suavis sit Dominus.* Nam Apostolum ad verba Psalmi alludere, manifestum est. Præterea verò nec illud negligi debet, quòd Petrus respiciat in verbis illis ad *Evangelium* à se prædicatum, cujus præstantiam à sinceritate & efficacia nutriendi in vita spirituali, antea commendaverat, sub nomine lactis puri, & infantibus alendis apti; vers. 2. Nunc autem à suavitate aut dulcedine, quam hominì converso atque animæ ejus intimè præbeat, commendat, atque ad ipsorum, ad quos scribit, consensum aut testimonium provocat, qui, si lac Evangelii hætenùs, ita ut par erat, sumserint, aut imbiberint; utique hoc ipso gustaverint aut experti fuerint, quàm suavis sit Dominus: cum Dominus ipse se, ut suavem, per Evangelii prædicationem spiritualiter gustandum aut fruendum exhibeat. Quò referre possumus, quòd *G. Keithus* ipse fatetur, pag. 12. *salutarem fidem & cognitionem spiritualis regni Christi in cordibus sanctorum; electionis sanctorum in Christo ante jacta mundi hujus fundamenta, vocationis, justificationis & per regenerationem spiritualem, in Christo insertionis & infusionis &c. beneficio Scripturæ ingenerari & implantari.*

XXX. Circa locum *Matth. V. 8.* quò dicitur: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* paucis monemus, verba generaliter seu indefinitè esse posita, quatenùs, cum purificatis à sordibus peccati hominibus promittatur visio Dei, non tamen determinatur, utrum visio illa sit talis, quâ per speculum in ænigmate videtur? an quâ videtur facie ad faciem? an denique visio utraque, quarum altera alteri succedat, intelligenda sit? Sanè *Chrysostomus* ad h. l. scribit: *Dupliciter est videre Deum, & in hoc seculo & in illo. In hoc quidem seculo, secundum quod scriptum est, (Joh. XIV.) qui videt me, videt & Patrem, Qui ergò omnem justitiam facit & cogitat men-*

*re sua, Deum videt: quoniam iustitia figura Dei est. Deus enim iustitia est. --- In secuto, autem illo, hoc modo mundi corde Deum videbunt facie ad faciem, iam non per speculum in enigmate, sicut hic. (I. Cor. XIII.) Theophylactus ita commentatur: Sicut speculum si fuerit mundum, accipit imagines: ita & anima pura faciem Dei, & scripturarum scientiam suscipit. Rupertus Tuitiensis ad illustranda verba textus, Danielelem & socios eius pro exemplo esse dicit, quorum studium cum fuerit, ut essent mundi corde, Deus illis dederit scientiam & disciplinam in omni verbo & sapientia, Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. Inter cetera, quae videt ille mundo corde, maximum & pulcherrimum esse, quod Deum videat, quomodo à mortali homine videri potuit: quam in rem allegat visionem Danielis. Cap. VII. ac denique concludit: Qui adhuc vivens & mortalis sic propter munditiam videt Deum, quomodo vel quam feliciter post hanc vitam videt eum? Ecce ut visio Dei etiam in hac vita tribuatur mundis corde, nec tamen illis intuitiva Dei cognitio in hac vita, sed post hanc vitam demum conferatur! Ceterum si maxime verba illa praecise de intuitiva Dei cognitione loqui concedamus; non tamen fundamenti quicquam apparet; quamobrem verba referamus ad visionem illam in hac vita obtinendam. Non enim dicitur: *Ipsi in hac vita Deum videbunt*, sed sine additio: *Ipsi Deum videbunt*, quamobrem plerique interpretum verba accipiunt de visione Dei beatificam vitam aeterna: atque huc referunt loca I. Cor. XIII. v. 12. I. Joh. III. v. 2. Hebr. XII. v. 14. vid. B. Gerh. Comm. ad Matth. V. v. 8. Ac certum est, tria haec loca cum nostro illo non obscure consentire. Prout enim hic dicitur: *Mundi corde Deum videbunt*; sic ad Corinth. I. c. *Charitas, non cogitans malum, non gaudens super injustitia, congaudens autem veritati &c.* hoc nomine commendatur, quod, abolita hac vita & omni imperfectione, etiam tunc maneat, cum *videbimus facie ad faciem*. Altero loco Johannes visionis Dei sicuti est, post hanc demum vitam securae spem faciens, addit: *Et omnis, qui habet hanc spem in eo, purificat se, sicut & ille purus est*. Tertio denique loco scribitur: *sine sanclimonia nemo videbit Deum*; quod autem sermo sit de visione Dei in gloria caelesti post hanc vitam, ex contextu patet. Vidd. v. 1. & 2. v. 22. 23.*

XXXI. In Pauli verbis II. Cor. III. v. 18. *Nos autem omnes re-
 recta facie gloriam Domini καταπλεῖσθ' αὐτοῦ*, quod quidam vertunt, *in-
 vuentes velut in speculo; in eandem imaginem transformamur, ex gloria*

in



in gloriam, sicut à Domino Spiritu: plus reperiisse videtur Keithus; ac procul dubio existimat, doceri hoc loco, quod fideles N. T. gloriam Domini resecta facie videant, hoc autem idem esse, ac Deum in essentia sua per se immediatè cognoscere; præsertim quod additur, intuentes in gloriam Domini transformari in eandem imaginem, ex gloria in gloriam; tanquam quòd gloriæ illius participatione fiant & ipsi gloriosi. Cumque verba non futuri, sed præsentis temporis, (intuentes transformamur) hîc legantur, videtur id, quod per verba innuitur, non ad futurum posthanc vitam statum differri, sed tanquam in hac vita obtinens, ac fidelibus jam actu collatum indicari.

XXXII. Verùm & hoc, quicquid est, lubricum ac nullius roboris apparet, si rectè attendamus. Non enim hîc locò dicitur, fideles faciem Dei resectam videre; sed Paulus de se & sui similibus dicit: ἡμεῖς δὲ πάντες ἀνακεκαλυμμένοι προσώπων δόξαν κυρίου κατοπτριζόμενοι &c. ubi dispiciendum est, (1.) quodnam & cuius sit illud πρόσωπον? ipsiusné Pauli & sui similibus? an alterius? & cuius? (2.) quo sensu πρόσωπον illud, aut illa facies resecta dicatur? & (3.) quid sit illud κατοπτρίζεσθαι? ane idem, quod βλέπειν δι' ἐσπίρης aut κατόπρης, videre per speculum, aut tanquam in speculo? an idem, quod recipere lucem aut imaginem quandã tanquã in speculo, eamque repræsentare aut refundere? Non fert ratio instituti, ut multiplices diversorum autorum interpretationes hîc recenseamus. Hoc certum est, verba illa à Paulo prolata esse in respectu ad id, quod prius vers. 7. & 13. quidem dixerat de facie Moysi, in quam filii Israël non potuerint oculos intendere, propter gloriam vultus eius; cui etiam faciei suæ Moses imposuerit velamen. vers. 14. & seqq. autem de velamine cordibus Judeorum impositò, quò fiat, ut Judæi non intelligant finem legis & complementum veterum typorum ac vaticiniorum esse Jesum Christum; ac tamdiu velati, fervorum instar, maneant, donec convertantur, & velamen à cordibus illorum tollatur, &c. Talem autem non esse rationem fidelium N. T. Sed hîc, ait, Deus qui jussit è tenebris lucem illucescere, luxit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi: quod extat Cap. IV. v. 6. quibus alluditur ad præcedentia atque ultima Capitis III, verba: quemadmodum & illud eò respicit, quod Cap. IV. vers. 3. & 4. dicitur. Quod si adhuc velatum est Evangelium nostrum, in his, qui pereunt, velatum est; in quibus Deus hujus sæculi excæcavit sensus incredulorum, ne illucesceret illis

C

lumen

lumen Evangelii gloria Christi, qui est imago Dei. Opponit ergò Paulus
 (1) *faciem Mosis, & faciem seu personam Christi* Mediatoris, utramque
 splendentem, *illam* corporali splendore, quò donabatur ex familiari
 conversatione cum Deo: *hanc* spirituali luce collustratam tanquam
 filii Dei unigeniti; prout aliàs Ebr. I. 3. Christus, ultimis diebus, ut inter-
 pres Patris, in mundum missus, dicitur ἐπ' αὐγασμα τῆς δόξης *efful-*
gentia gloria Dei, seu is, in quo resplendet gloria illa ac majestas divina,
 alioqui inconspicua & incomprehensibilis: & sic porrò *faciei Mosis*
 splendentis quidem, sed *velatae*, opponit Paulus *Christi faciem* seu perso-
 nam splendentem pariter & *relectam*; relectam autem dicit *in Evangelio*
gloriae Christi, qui est imago Dei, I. c. II. Cor. IV. v. 4. seu, quod idem est, in
 doctrina de Christi persona & officio, quæ non solum perspicuè sine
 involucris typorum aut obscurorum vaticiniorum, velut nudè propo-
 natur, sed & efficax sit ad *illuminanda corda hominum* & *conferendam a-*
gnitionem gloriae Dei in facie Jesu Christi, ib. v. 6. ita ut omnes, quibus E-
 vangelium illud prædicatur, eò perducì possint & perducantur, nisi
 qui corda sua patiantur à Satana excœcari, ne illucescat in illis lumen,
 quod aliàs ipsos illuminaturū foret. His ita habentibus, (2) ulterius op-
 ponit Paulus *velatis Judæorum* cordibus, suam & aliorum sui similium
 in N. T. *faciem relectam*, qui velamine servitutis & ignorantiae à facie
 cordis remotò, in libertatem asserti sint, ac divino splendore ex facie
 Christi in se refuso collustrati. Quam in rem B. David Rungius breviter
 ac eleganter scribit: *Judæi telectam Mosis faciem intuentur, ipsi nihilo melio-*
res ab ipso facti, sed magis excœcati; sed nos relecta facie, tanquam liberati à
servitute, sublatoque velamine tenebrarū mentis intuemur non faciem Mosis,
sed δόξαν Κυρίου, hoc est Christum Jesum, qui est gloria aeterni Patris. Disp.
 IV. in II. Epist. ad Cor. sub finem Expl. Partis III.

XXXIII. Quod si nunc etiam significationem & emphasin
 vocis κατόπτριζόμενοι investigemus, quanquam negari nequeat, non
 eodem modo ab omnibus intelligi, tamen & originem vocis & usum
 loquendi & contextum præsentis loci ad unam certam interpretatio-
 nem conspirare credimus. Scilicet cùm κατόπτρον idem sit, quod spe-
 culum; κατοπτρίζω idem denotat, atque *imagines & reflexiones facio in*
modum speculi, aut, tanquam in speculo; sicut apud Plutarchum legi-
 tur, κατοπτρίζων ὁ ἥλιος τὴν ἕρην (observante Scapula,) quando sol,
 nubi rorida & translucida atq; aliquo modo opacæ oppositus, radiū
 in eam emittit, qui receptus in eam, inde in oculum hominis reflecti-
 tur:



tur: quâ ratione κατοπτρίζομενον dicitur illud, in quo imagines aut reflexiones fiunt ab alio, quod lucidum est, quodque receptum radium in oculum alterius reflectit, instar speculi: (prout etiam *Aristoteles Lib. III. Meteorol. Cap. IV.* ubi de iride agit, *speculi* in nube frequentem injicit mentionem.) Quando igitur Paulus se & sui similes dicit κατοπτρίζομενος τὴν δόξαν Κυρίου, vis verborum & usus loquendi postulat, ut facta eorū, quæ ad corporalem lucem propriè pertinent, ad spiritualem sensum applicatione, cognoscamus exhiberi Paulum cum suis, tanquam illuminatos spiritualiter, imagine lucis supernaturalis in ipsis recepta & inde reflexione factâ ad alios. Quod si contextum spectes, res denique huc redit. Paulus & socii à Christo, qui est imago Dei lucidissima, lucis spiritualis, quam habet, velut radium in ipsos emittente, ita illuminantur, ut ipsi lucem receptam velut reflexione factâ refundant in alios: aut, remotâ metaphorâ: Paulus & alii unâ cum ipso, cognitionem rerum divinarum, & arcanam Dei sapientiam, per Christum ac revelationem ab ipso sibi factam, nacti, eandem communicant aliis & publicè notam faciunt, ut & alii eandem impetrare per ipsos possint. Sic autem deinde etiam facilè intelliguntur verba sequentia, quibus dicitur, Paulam & cæteros *transformari ad eandem imaginem de gloria in gloriam*. Nempe per sapientiam illam spiritualem & cognitionem rerum divinarum accedunt ad similitudinem Christi atque ipsius Dei, & habent intra se formam aliquam à Christo ad sui similitudinem in ipsis expressam; eaque ratione progressus fit ab una gloria ad aliam, prout lux una mediante speculo aut speculis pluribus multiplicata apparet, cum lux recepta refunditur aut refulget. Effectus autem ille rectè assignatur *Spiritui*, qui *Dominus* ac Deus est, juxta ea quæ suprâ §. XI. diximus, de operibus ad extra, quæ tribus Divinitatis Personis, Patri, Filio & Spiritui S. sint communia.

XXXIV. Sed nunc, age, videamus, quantopere dictum hoc Apostolicum absit ab asserenda cognitione Dei intuitiva, fidelibus vitam hanc mortalem viventibus competente. Dicuntur Deum cognoscere in facie Christi, adeoque mediante Christo. Atqui *Johannes*, Cap. I. v. 18. dicit: *Deum nemo vidit unquam, Filius unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis*; ubi opponuntur, τὸ videre Deum, & τὸ enarrante Filio in cognitionem Dei pervenire. Itaque qui Deum non nisi in facie Christi, aut mediante Christo mediatore cognoscunt, abstractivè

cognoscunt Deum, non intuitivè. Qui per Evangelium de Christo instar speculi imaginem gloriæ divinæ intra se recipiunt, anne ideò divinam essentiam sine specie intueri dicentur? Sed de his plus fatis.

XXXV. Denique Locus *Eph. I. v. 17. 18.* Spectandus est, ubi hæc sunt verba Pauli precantis: *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater ille gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis per agnitionem ipsius, illuminationis oculis mentis vestræ, ut sciatis, quæ sit spes illa vocationis ipsius & quæ opes gloriæ hereditatis ipsius in sanctis.* Si quid hujus ad præsentem quæstionem facere potest, illud esse oportet, quòd Paulus inter bona, Ephesiis, aliisque fidelibus, per preces suas in hac vita impetrabilia, refert talem oculorum mentis, per Spiritum sapientiæ & revelationis divinæ & cognitionem Dei, illuminationem, quâ sciant, quæ sint bona, quæ Deus, fideles vocans, sperare jubet, (ut spes, more loquendi aliàs solitò, *μετωνομιῶς* pro rebus speratis accipiatur:) & quanta gloria beatorum, in vita altera, quam à Deo Patre, ut filii ejus, hereditatis beneficio consecuturi sint: cùmque bonorum speratorum & post hanc vitam plenè impetrandorum, primum ac præcipuum sit intuitiva Dei visio, ideò scire in hac vitâ bona sperata aut post hanc vitam expectanda; scire opes gloriæ hereditatis sanctorum; idem esse, atque in hac vita, velut anticipando intueri essentiam divinam, prout posthac intuentia erit, haud dubiè existimat Keithus. Sed ad hæc, ac si vel plura dicantur, paucis respondebit nostro loco S. Johannes verbis suprâ citatis ex *I. Epist. Cap. III. v. 3.* *nondum apparuit, quid futuri simus: scimus autem, quòd cùm apparuerit, visuri eum simus, sicuti est &c.* Nempe scimus, quòd aliquando visuri simus Deum sicuti est: & sic scimus, quæ sit spes vocationis nostræ, quæ sint opes gloriæ hereditatis sanctorum; interim jam nondum videmus eum, sicuti est: hac ratione spes illa & opes illæ nondum apparuerunt. Atque hæc de locis Scripturæ à Keitho objectis dicta sufficiant.

XXXVI. Progrediamur ad *experientias*, quas ille *multorum millium sanctorum in omni seculo* adesse jactat. Refert autem inter sanctos illos, *Platonem & Plotinum*, aliosque Philosophos; refert *Apostolos*: refert *Patres Ecclesiæ*, ac recentiores quosdam *Theologiæ mysticæ Doctores*, denique vel ipsum *B. Lutherum nostrum*. Atque in his adeò confidenter rem agit adversarius, ut nuda asseveratione contentus, fidem sibi habendam putet aut postulet,

XXXVII.

XXXVII. Verùm ut veritas vincat, de singulis illis hominum classibus, ubi magna profectò diversitas est, distinctè judicandum esse, certis argumentis docebimus. *Platonem* novimus in *Phædone* asseverasse, sapientiæ nos demùm compotes futuros, cum ex hac vita per mortem corporis discesserimus. *Arbitrari oportet*, inquit, *si vere Philosophus sit, magnopere apud ipsum hanc opinionem valere, ut non alibi puram sapientiam posse assequi speret, quam in futura post mortem vita.* Antea dixerat; *Quando nihil cum corpore purè discerni potest, è duobus alterum* (alterutrū, statuendum est;) *aut nunquam possumus scientiam consequi,* (quod absurdum videtur,) *aut post mortem.* Loquitur autem de sapientia in cognitione Dei perfectâ & immediatâ consistente. Eamque in rem apud eundem in convivio *Diotima* vates differit, *felix aliquando spectaculum fore si cui contigerit post hanc vitam intueri τὸ καλὸν, εἰλικρινές, ἀμεικτον, θεῖον, μνεῖδῆ,* Itaque fac *Platonem* præter *Theologiam purgativam & illuminativam,* statuiffe etiam *unitivam,* (sic enim vulgò ex scriptis ejus & sectatorum tradi solet) nondum tamen probatum est, præter duas illas species, etiam tertiam in hac vita impetrabilem ei visam fuisse. *De Plotino,* Principe *Platoniorum* idem haud difficulter judicaveris. Fac autem, seu hunc, seu illum, seu utrumque & ingentem assecularum cœtum, statuiffe, in hac vita dari cognitionem Dei intuitivam, intellectu intimè cum Deo in substantia sua immediatè cognita unitò; horum sanè non potest esse tanta auctoritas, ut eorum, tanquã verè fidelium, non falsam persuasionem, sed veram, vivamque experientiam jactare, ac validi exempli loco adducere possis. Cognitionem enim illorum, quam de Deo ac rebus divinis habuerunt, multis erroribus contaminatam fuisse, ac veris ex *Hebræorum* disciplina haustis dogmatibus non parum quisquiliarum undecunque adjectum fuisse, pridem est, quod ostenderunt *Viri docti.* Haftenùs ergò nihil præsidii invenisse *Keithum* apparet.

XXXVIII. De *Apostolis* quod addit, non magis firmo nititur fundamento: imò stantibus his, quæ suprâ ex *Apostolorum Pauli & Johannis* clarissimis assertionibus, in *Ep. I. Cor. XIII. & I. Joh. III.* ostendimus, aut dicendum fuerit, *Apostolos* *Apostolis* contradicere; aut fatendum, eos, qui visionem Dei intuitivam huic vitæ denegant, & in vitam futuram differri docent, non posse referri inter eos, qui suam experientiam aliis exempli loco esse voluerint. Nam & ad



loca scripturæ, quæ Keithus pro sua opinione adduxerat, jam suprâ respondimus.

XXXIX. Quandoquidem autem fortassis ea, quæ tribus Apostolis, Petro, Jacobo & Johanni in monte Tabor, Christi glorificationem ibidem spectantibus, obtigerunt; quæq; referunt *Matthæus Cap. XVII. v. 1. seqq. Marcus Cap. IX. v. 1. seqq. Lucas Cap. IX. v. 28. seqq.* Item, quod Paulus sibi accidisse memorat, cum raptus in tertium cœlum, aut in Paradisum, audiret verba inenarrabilia, quæ non concessum sit homini eloqui *II. Cor. XII. v. 2. 3. 4.* exempli rationem habere videri possunt; (certè aliàs inter exempla prægustus vitæ æternæ reputantur;) ideò de illis breviter dispiciemus.

XL. Sanè B. Brentius de discipulorum sorte, in monte Tabor versantium, ad *Matth. l. c.* benè scribit: *Non sentiendum est, quòd Christus effundat hic in discipulos totam gaudii cœlestis plenitudinem: neque enim homo in hac terra & in hac mortali carne posset plenitudinem cœlestis felicitatis sensu suo sufferre: citatque loca Es. LXIV. & I. Cor. II. B. Hunnius autem in Comm. ad II. Cor. XII. p. 368. Corporeis, inquit, hominum (Apostolorum) oculis quandam velut imaginem cœlestis gloriæ & beatitudinis conspiciendam exhibuit. Idem in Comm. ad Matth. l. c. p. 391. Quanquam quid sit vita æterna, scire ac definire in hac humani ingenii imbecillitate ac caligine fas non est, siquidem oculus non vidit, auris non audivit, & in cor hominis nunquam descenderunt, quæ præparavit Dominus diligentibus se, tamen præsens historia nobis materiam de ea juxta Scripturæ patefactionem differendi vel potius balbutiendi præbet. Etenim pars quaedam illius erit claritas, quæ in Christo, quæ in Mose, quæ in Helia conspecta est. Nam & nostra corpora non erunt amplius tam deformia, tam caduca, tam ignobilia & corruptibilia, sed quemadmodum scriptum est: *seminatur in corruptione, resurget in incorruptibilitate &c. I. Cor. XV.* Ad dit etiam Loca *Dan. XII. v. 3. Matth. XIII. 43. Phil. III. v. 21.* Ceterum, pergit Hunnius, præter gloriam, paratum ibi erit electis Gaudium quoque sempiternum, & beatitudo inenarrabilis, præ cuius sensu & dulcedine ex animis beatorum oblitterabitur omnium rerum terrenarum, quamlibet eximiarum, memoria & appetitio &c. Duo ergò sunt, quæ ille h. l. observat, ad prægustum beatitudinis pertinentia, 1. Claritatem corporum in Christo, Mose & Elia, oculis discipulorum exhibitam, 2. Gaudium singulare, cuius sensus fastidium terrenarum deliciarum*

aut

aut' gaudiorum excitet. Quod, si auctoritate humanâ horum Vi-
rum insuper habitâ, tantum rem ipsam verbis Evangelistarum tradi-
tam sine præjudicio consideremus, profectò apparet, non solum ni-
hil dici de essentia divina à discipulis in se immediatè ac citra verbum
tam internum quam externum cognita; verum potius ea, quæ illis
contigerunt, constitisse partim in exhibita specie visibili glorificato-
rum corporum humanorum, partim edita supernaturaliter & ad au-
res discipulorum pertingente voce articulata, partim in gaudio sin-
gulari quidem ac valdè intenso, sed cujus motivum non esset essentia
divinæ comprehensio intellectualis, sed extraordinarium illud specta-
culum, mentem ipsorum penetrans, atque efficiens, ut ea ab objectis a-
liis avocata in uno illo tam jucundo suaviter acquiesceret. Quæ omnia
quantum absint à statu controversiæ, nemo, opinor, est, qui non intel-
ligat.

XLI. *Raptus* autem ille *Pauli* in tertium cœlum, paulò
plus probabilitatis sententiæ Keithianæ afferre posse videtur. Nam
& ex Pontificiis *Thomas II. Idæ C. CLXXV. art. III. in Concl. statuit,*
quòd *Paulus, usque in tertium cœlum divinâ virtute raptus, Deum per*
essentiam viderit. Et in confirmatione ejus sententiæ docet, *lumen*
gloriæ, sine quo divina essentia videri ab intellectu creato non potest, fuisse in
Paulo, non quidem per modum formæ immanentis, prout beatos facit sanctos
in Patria, sed per modum passionis cujusdam transeuntis, juxta analogiam
luminis prophetiæ. Sed ex adverso negant, *Paulum in hac vita vidisse*
divinam essentiam, Molina P. I. C. II. art. XI. Disp. II. & Becanus in Theol.
Schol. P. III. Tr. I. Cap. IX. C. VII. n. V. p. 55. qui inter alia & illud
urget, quòd *raptus ille contigerit, antequam Paulus scriberet epistolam*
(priorem) ad Timotheum & antequam Johannes scriberet suum Evange-
lium; Et tamen uterque scribat, nullum hominum vidisse unquam Deum.
Ergo, addit, signum est, Paulum in suo raptu non vidisse Deum: alioqui de-
buisse se ipsum excipere ab illa generali sententia, Quem nullus hominum
vidit. Et post paulò: *Paulus audivit verba arcana, non per visionem bea-*
tificam, sed per singularem revelationem, ut patet ex illo II. Cor. XII. 7. Ne
magnitudo revelationum extollat me. Et profectò manifestum quidem est,
raptum illum, seu id, quod in raptu illo ei contigit, à Paulo referri ad
ἐπαισίας καὶ ἀποκαλύψεις Κυρίου visiones & revelationes Domini, l. c.
v. i. tanquam quod *ὑπερβολὴν τῶν ἀποκαλύψεων, excellentiam*
reve-

revelationum importet. Quod autem Paulus Deum sive essentiam Dei in se, & citra verbum tam internum quam externum, immediatè aut intuendo cognoverit, nihil extat l. c. Cæterum cum ipse Paulus 1. Cor. XIII. v. 12. generaliter de se & aliis pronunciet: *Cernimus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem*: denegans sibi & aliis visionem intuitivam Dei in hac vita, atque ad futuram vitam differens: hòc autem locò, II. Cor. XII. dum *ὄπτασίαν* illam, visionem aut revelationem insignem, recenset, simul indicet, eam contigisse sibi jam ante annos quatuordecim; tanto autem temporis intervallo nò differant Epistolæ prioris ac posterioris scriptio atq; ablegatio: sanè fatendum erit, excellentem istã revelationem intra genus visionis per speculũ in ænigmate, quæ visioni de facie ad faciẽ contradistinguitur, substituisse, neq; adeò intuitivã Dei cognitionem importare. Quod si Apostolis accensere placeat virũ Apostolicũ, Ecclesiæ primitivæ Diaconũ & Protomartyrem, *Stephanũ*, qui in concilio Judæorũ sermonẽ habens, ipse plenus Spiritu S. intentis in cælum oculis vidit, & testatus est, se videre *gloriam Dei, cælos apertos, & Jesum stantem à Dextris Dei*; Act. VII. v. 55. 56. tamen ne hunc quidem ostendi potest vidisse ipsam essentiam divinam immediatè ante finem hujus vitæ. Fuit sanè & is prægustus vitæ æternæ: at visio ipsa beatifica non fuit. *Cælos apertos vidit; vidit gloriam Dei*, seu fulgorem quendam, quo Dei majestas repræsentabatur: pro ut gloria Dei accipitur Exod. XXIV. v. 17. Cap. XXXIII. v. 18. 22. *Ezech. II. 1. Luc. II. 9.* Vidit *Jesum* (quem Judæi crucifixerant, ipse Messiam esse, confessus fuerat, ideoque mortem subiturus erat;) in corpore immortali, formaque augusta apparentem. Potuerunt autem hæc videri & visa sunt per illuminationem supernaturalem; ut tamen non videretur sine omni signo aut verbo interno atque externo ipsa essentia divina.

XLII *Patres* quod attinet, miramur nuda nomina sine certis illorum verbis ac sententiis à Keitho jactari: Neque nobis conjectando assequi licet, quæ is in scriptis illorum repererit? genuinane? an spuria? integra? an interpolata? allaturus sit: nedum an veram Doctorum mentem sit assecutus? Interim nequid dissimulemus, quod ad rem præsentem pertinet, *Clementem Alexandrinum* quidem novimus in Schola Platonis educatum fuisse, indeque fortassis factum est, ut quemadmodum Plato, sic & ille, videretur perfectam istam Dei cogni-

cognitionem per essentiam, in via illa unitiva, tanquam in hac vita impetrabilem, asserere. Sed Lectorem, veritatis studiosum accuratius attendere oportet, quid? cui? cuius temporis respectu tribuatur? Nam & de Platone ipso rem non adeò liquidam esseprehendimus. De Origene, Clementis discipulo, idem quod de isto habemus dicere, cuius dogmatum cum Philosophia Platonica comparationem peculiari scripto exhibuit Paganinus Gaudentius; ipsum verò non unius erroris arguerunt sequentes Ecclesiæ Doctores, alii acrius, alii paulò moderatius. Sed Athanasium & Gregorium Nazianzenum multò minùs, quàm præcedentes ejus sententiæ suspectos habere possumus. Latinos quod attinet, Hieronymus pariter & Augustinus à nostris stant partibus. Ille in Comment. in Ezech. Cap. XLII. Tom. IV. fol. 468. B. edit. Antverp. verba Prophetæ, quibus ait *eductum se per oram portæ, quæ respiciebat ad viam orientalem* & (Ducem illum suum) *mensum esse eam undiq; per circuitum, sive mensum esse similitudinem domus per circuitum in ordine*; hanc suam explicationem addit: *Per quod demonstratur, non ipsam domum, sed similitudinem domus esse, quæ cernitur: quia nunc per speculum videmus in enigmate: cum autem venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, destruetur (1. Cor. XIII.) Unde & Moses in tabernaculo (Exod. XXV.) & Salomo in edificio (III. Reg. VI.) non veritatem tentorii & templi, sed similitudinem, figuramque fecerunt: ut per hæc, quæ minora sunt & terrena, ea quæ in coelestibus & in spirituali edificio sunt, intelligere possimus.* Augustinus autem Quæst. sup. Gen. CXIV. T. IV. pag. 47. b. B. edit. Antverp. Keithum refutat, ac nostræ sententiæ testimonium largitur: *Sic, inquam, videbitur Deus (in vita æterna) quomodo non est antea patribus visus; (atqui Keithus Sanctos in omni seculo Deum intuitivè videre putat.) Idem lib. XXII. de Civ. D. Cap. XXIX. T. V. p. 309. b. B. Sicut illi (angeli) vident, ita & nos visuri sumus, sed nondum ita videmus. Propter quod ait Apostolus, quod paulò ante dixi: videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem, Premium itaque fidei nobis visio ista servatur, de qua & Johannes Apostolus loquitur: cum apparuerit, inquit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et paulò post: Cum ex me queritur, ait, quid acturi sint sancti (in vita altera)? non dico, quod jam video, sed quod credo. Dico itaque quod visuri sint Deum.* Idem Comm. in Psalm. LXXV. Tom. VIII, fol. 339. a. A. Con-

D

1075

templabimur Deum facie ad faciem. Hic nobis promittitur, in quem modo non videntes credimus. Quomodo gaudebimus, cum viderimus eum. Fratres, si modo tantum gaudium in nobis facit promissio, quantum est factura redditio? &c. Confer Epist. VI. Tom. II. pag. 12. a. b. & Lib. XV. de Trinit. c. VIII. Tom. III. pag. 176. b. C. D.

XLIII. Sequuntur recentiores Bernardus, Thaulerius, Thomas à Kempis, Harphius, Rusbrochius & Anthon Theologiae Germanicae: de quibus antequam figillatim dicamus, monendum est; ex quo Pseudo-Dionysius Areopagita prodiit, ac Theologiam, quam vocavit, mysticam in orbem Christianum intulit, (factum id autem post Athanasii & Cyrilli aetatem, ut constat ex Collatione habita Cpli inter Catholicos & Severianos, A. 532. Conf. Rivetus, Crit. S. L. I. Cap. IX. §. XIII. p. 157.) eam verò Johannes Erigena Scoticus Latinitate donavit, utique homines quosdam, praesertim Monachos, vitae contemplativae deditos & nescio quam perfectionem, quam consecuti sint, in se ipsis fingentes atque admirantes, in eam delapsos fuisse opinionem, quod beneficio peculiaris illuminationis, aut *εξουσίας*, intimè, immediatè ac planè familiariter cum Deo colloqui, quin ipsam Dei essentiam intueri queant; imò colloquantur cum Deo, Deumque intueantur. Itaque si maximè experientiam talium hominum nobis objiciat Adversarius, suspectam eam tamen & fallacem haud immeritò habemus.

XLIV. Bernhardum verò novimus ab illa sententia, quam Keithus ei tribuit, planè alienum esse; quippe qui oppositam, quae & nostra est, non solum aperte profitetur, verum etiam inculcat: quando Serm. XXXI. super Cantica, fol. 661. seqq. edit. Antwerp. de excellentia divinae visionis, & qualiter in presenti sanctis viris gustus divinae praesentiae varietur, pro variis animi desideriis; verba facturus, sub initium statim sermonis, occasione verborum Cantici: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*, dicit: *Studiosis mentibus verbum sponsus frequenter apparet, & non sub una specie. Quid ita? Profecto quoniam nondum videtur sicuti est. Et paulò post: Talis visio (loquitur de intuitiva) non est vitae praesentis, sed in novissimis reservatur, his duntaxat, qui dicere possunt: scimus, quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est, [I. Joh. III.] Et nunc quidem apparet, quibus vult, sed sicuti vult, non sicuti est. Non sapiens non sanctus, non Propheta, videre illum sicuti est, potest, aut potuit in corpore hoc mortali; poterit autem in immortalis, qui dignus habetur. Ita.*

que



que videtur & hic, sed sicut videtur ipsi, & non sicuti est. Pergit itaq; in hu-
 jus argumenti declaratione, dumq; varias Dei manifestationes in hac
 vita memorat, subinde illud repetit, quod primum dixerat, & interfe-
 rit: v. g. quando de illa loquitur, quã Deus ex rebus creatis cogno-
 scitur; *Numerositas specierum in rebus creatis, ait, quid nisi quidam sunt*
radii Deitatis, monstrantes quidem, quia (quod) verè sit à quo sunt, non
tamen quid sit, prorsus desinientes? Itaque de ipso vides, non ipsum. De-
 inde, *Alius,* inquit, *procul dubio ille modus (est,) quo quondam patribus*
crebra illa atque ambitiosa Divina presentia familiaritas dignanter indulta
est, quanquam nec ipsis sicuti est, sed sicut dignata est. Rursus cum
 de ea locutus esset, quæ nobis per excessum puræ mentis in Deum, five
 Dei pium descensum in animam obtingat; Non tamen, addit, *adhuc illud*
dixerim apparere sicuti est. Item cum ostendisset, quomodo Deus fide-
 libus in quovis casu aut necessitate commodum ac salutarem se mani-
 festet, *variis similitudinibus eam adumbrari dicit, eoq; pertinere,*
quod dicamus vivere sub umbra eius inter gentes (Thren. IV.) quod scili-
cet videamus nunc per speculum & in enigmate, & nec dum facie ad faciem.
At istud sanè, subjicit, donec vivimus inter gentes. Nam inter Angelos ali-
ter; &c. Quando jam indifferenti omnino felicitate cum ipsis videbimus
eum & nos, sicuti est, hoc est in forma Dei, & non in umbra. Quomodo
namque apud veteres quidem umbram figuramque dicimus extitisse, nobis
autem per gratiam Christi in carne presentis ipsam per se illucescere verita-
tem: ita nos quoque respectu futuri seculi in quadam interim veritatis um-
bra vivere non negabit, nisi qui non acquiescit Apostolo dicenti: Ex parte
cognoscimus & ex parte prophetamus (I. Cor. XIII.) & illud: Non ar-
bitror me comprehendisse (Phil. III.) Quomodo enim non est distinctio ejus,
qui per fidem ambulat, & illius, qui per speciem? Ergo justus ex fide vivit,
beatus exultat in specie (visione.) Dignus autem est sermo integer, qui
in hanc rem legatur. Quanquam & alias Bernhardus eandem sen-
tentiam tradit, Serm. LVI. in Cantic. pag. 732. Tract. de præcepto &
dispensatione Cap. XXVII. p. 941. & Serm. in Cœnam Domini p. 1680.
sub finem: ut meritò miremur, adversarium ad Bernardi consen-
sus tam confidenter provocasse: ac possemus illum se is ferè verbis
affari pag. 8. Am. Resp. lin. 14. Pudeat virum sobrium, talem alteri im-
putare sententiam, qualem non solum non amplectitur, sed oppositam
apertè profitetur & propugnat.

X L V. Quid ergò de cæteris dicamus, quos itidem nu-



dis nominibus, sine ullo seu ex ipsorum scriptis, seu aliorum fide di-
 gnorum auctorum, testimoniò citavit? quique si maximè profi-
 terentur, quod vult Keithus, non magnā tamen auctoritatem haberent.
 Venit hāc occasione in mentē, quod scribit R. Barclajus Apol. ad Thef.
 XI. p. 225. §. V. *Quis denegabit & Bernardum, & Bonaventuram, & Thaulerum
 & Thomam à Kempis, ceterosque complures de divino amore gustasse?
 & divini Spiritus, virtutem in se ipsis ad salutem suam operantem sensisse?
 Debemusne igitur istas superstitiones non abnegare, repudiare, & derelin-
 quere, quibus ii utebantur?* Nempe facilè accidit, ut, quemadmodum
 Petrus, spiritualium deliciarum sensum nactus, acres terrenas obli-
 tus, domicilium ibi figere concupivit, ubi animo tam bene erat,
 quasi jam beatus esset; *nesciens quid loqueretur*: Marc. IX. v. 6.
 Sic & alii, qualemcunqve beatitudinis prægustum consecuti, beati-
 tudinem ipsam se affectos putent, quamvis ab illa magno adhuc ab-
 sint intervallo. Aliàs autem constat, quomodo verba Scriptorum
 Theologiæ mysticæ, etsi *ὕπερβολικῶς* non rarò sonent, æquam ta-
 men interpretationem seu postulent, seu admittant; nisi planè à nor-
 mā doctrinæ & Ecclesia meliorum seculorum degenerarint. *Dionysium
 Carthusianum* novimus in Tractatu de Fonte lucis, ubi de *via uniti-
 va* aut *perfectiva* loquitur, & *divinum ac deificantem amorem*, qui ad
mysticam contemplationem pertineat, actus item & gradus ejus, exponit;
 sic aliquandiu disserere, ut videri possit ea tribuere viatoribus, quæ
 beatis sunt propria, vel planè ultra hominum etiam beatorum for-
 tem. Sed si pergas legendo ad finem Artic. XVII. *Septimum gradum
 & actum* sic describi invenies; quòd sit, *mentem ad mysticam Theologiæ
 visionem theoreticam, caliginosam ac supersplendentem provehere*. Et additur:
*Estque visio illa inter communem contemplationem & beatificam patriæ vi-
 sionem mediò modò se habens*. Quibus denique hæc subjungit; *Octa-
 vus gradus & actus est, mentem jam fervidam, NB. post hujus incolatum
 exilii ad facialem ac felicissimam primæ veritatis inspectionem, ad divinæ
 essentiæ visionem, ad bonitatis infinite plenissimam, summè contentantem ac
 quietantem fruitionem perducere*. Manifestè igitur intuitiva Dei visio
 viventibus in hac vita denegatur, & post incolatum hujus exilii, in altera
 demum vitâ, consequenda pronuntiatur. Ceterum non negligendum
 est, quod *Vaëtius* in Exerc. Pietat. observavit; *Ipsos antiquiores & recentio-
 res in mysticis meteorologiis suis sibi non satisfacere, posteriores plerumq; præ-
 ferunt*



rum dicta suspecta habere, & accusare aut emollire cogi. pag. 77. quod dum per exempla probat, horundem, quos Keithus laudat, auctorum, Ruysbrochii, Tauleri, Harpii, censores nominat. De Auctore Theologiae Germanicae amplectimur iudicium Matth. Flacii in Catal. Test. verit. p. m. 1870. ubi sermonem subobscurum esse monet, & plura clarioraque de vera ac falsa Theologia sciuisse hominem, quam potuerit manifestè exprimere. Nempe tenebrae illae, quae terras Christianas sub Papatu premebant, etsi non omnem tollerent veritatis salutaris cognitionem, effecerunt tamen, ut non omnia rectè intelligerentur, & nonnunquam rectè intellecta non satis rectè enunciarentur.

XLVI. Lutherum quod attinet, etsi Adversarius illum h. I. non alio nomine in suas partes vocet, quam quòd librum Theologiae Germanicae suam praefatione commendaverit; (quod quam infirmum praesidium sit, res ipsa, nemine monente, loquitur :) ut tamen luculenter appareat, quam longè abfuerit Theander à sententia illa de visione intuitiva fidelibus in hac vita, velut anticipando, divinitus conferri solita; age, pauca indicabimus loca, quibus disensum suum profitetur, & negativam propugnat sententiam. Prae caeteris legi meretur sermo de Beata Spe ex Ep. ad Tit. II. A. 1531 habitus, T. V. Altenb. fol. 603. seqq. ubi ex professo exponit discrimen inter hanc vitam Spei, & vitam alteram Manifestationis; seu inter vitam praesentem, quae sit tantum Fidei, & vitam alteram Aspectus. p. 607, atq; urget dicta eadem, quibus nos utebamur I. Joh. III. v. 2. & I. Cor. XIII. 12. Aliàs autem Tom. II. Altenb. fol. 408. b. in Explic. Cap. I. Ep. I. Petri ostendit, quomodo vita haec & vita altera, (quae in intuitiva Dei visione consistit,) consistere unà nequeant: (sie können einander nicht tragen / ait.) Et Tom. III. Altenb. in Explicatione Cap. III. Exodi, fol. 549. a. scribit: Der Glaube und das ewige Leben sind zweyerley. Ich habe das ewige Leben in der Verheißung / und nicht im Wesen / Jetzt hab ichs im Tuncfel / und sehe es nicht / sondern glaub es / hernacher werde ichs wohl fühlen. Confer Explic. precationis Christi Joh. XVII. Tom. VI. Altenb. fol. 356. b. 357. a. & Explic. Epist. ad Galatas. Tom. eod. fol. 579. a. ubi haec leguntur verba: Wir haben noch immer dar mit Gott also zu schaffen / daß Er uns verdeckt und verborgen ist / und ist nicht möglich / daß wir in diesem Leben von Angesicht zu Angesicht bloß mit Ihm handeln können /

sondern wir sehen Ihn (wie S. Paul sagt) gleich als in einem Spiegel. ꝛ.

XLVII. Patet ex hæcenus dictis, quomodo *qui multa millia* exemplorum *Sanctorum* jactavit, in paucis, quæ memoravit, nullum invenerit præsidium: quidque sentiendum sit de eo, quod pag. 25. subjungit: *Hi omnes, inqviens, & alii passim mystici authores & Theologia mysticæ scriptores cognitionem quandam Dei prædicant, quæ absque verbis quibuscunque habeatur, per internum quandam Dei, rerumque divinarum gustum & contactum sensibilem, in animis & cordibus eorum, qui debitum puritatis & sanctitatis statum, ad talem cognitionis gradum requisitum sunt affecuti.* Sanè nisi illos sibi contradicere statuas, (alios enim non moramur, si qui inter *mysticos* seqviorum seculorum, à sacra doctrina abeuntes, reverà statuerint, se, aut alios, ad intuitivam Dei in hac vita cognitionem pervenisse: quam in rem *Maximil. Sandeus* Lib. III. de Theol. varia Commentar. 40. ad 44. videri potest;) postquam certum est, illos adeò clarè negare & impugnare sententiam de visione Dei faciali seu intuitiva in hac vita; dicendum erit, eosdem sibi constantes, quando cognitionem Dei absque verbis, gustum & contactum quandam sensibilem statuunt; id vel- le significare, quòd qui ex Scripturæ verbis veram de Deo ac rebus divinis, præsertim beneficiis spiritualibus atque admirandis, sententiam didicerunt; eiqve doctrinæ, per supernaturalem Spiritus Sancti cum illa conjunctam operationem, assensum supernaturalem commo- darunt: stante hac notitia & assensu, retentisqve adeò in mente sua speciebus intelligilibus, deinde non tam ad verba, quibus in apprehensionem rerum illarum sublimium deducti fuerint, respiciant: sed his suppositis, jam porrò res ipsas, prout intellectui per species intelligibiles sunt exhibitæ, meditentur, dumque à rerum carnalium aut terrenarum desideriis actualibus abstinent, & concupiscentiam refrenatam habent; interim in profundam rerum spiritualium contemplationem & admirationem sese demittant, & quæ in Scripturis generaliter seu indeterminatè ad certum individuum (ipsum hominem meditantem) continentur; ipsi sub istis ad se descendentes, sensum aliquem spiritualem bonitatis divinæ percipiant, quò animus suaviter afficiatur & acquiescat. Atque hoc omne fit dependenter à Scripturis; neque excludit, sed importat verbum internum mentis: certè ab intuitiva



tuitiva infinitæ essentiæ divinæ visione toto, quod ajunt, cœlo differt.
XLVIII. Quamobrem nec istud nobis obstat, quod Keithus addit;
*Et inde est, quod inter Theologiam discursivam ex una parte, & mysticam sive
contemplativam ex altera distinguunt, illam verò per verba & verbales dis-
cursus, syllogismos, propositiones, præmissas & conclusiones inde deductas
haberi; hanc autem nuda & simplici mentis purificata & ab imaginibus
cunctis verborum aut rerum externarum quarumcunque denudata, perce-
ptione & intuitione obtineri.* Novimus quidem Theologiam illam my-
sticam, quam secula prima ignorârunt, non parum habere quisqui-
liarum: interim, quantum ad præsens attinet, certum est, non sic
opponi posse Theologiam veri nominis mysticam, atque in hac vi-
ta impetrabilem, Theologiæ discursivæ, ut omnem abstractivam co-
gnitionem excludat, atque ipsam intuitivam essentiæ Divinæ infi-
nitæ cognitionem aut comprehensionem importet. Fac, excludi
verbales discursus ac syllogismos, quales Scholæ formant; tamen, quem-
admodum aliàs haud rarò fit, ut intellectus per species, ex pravia
demonstratione in ipso relictas, assensum conclusionis eliciat, abs-
que repetita & actu adhibitâ demonstratione; in ejusque & rei ver-
bis significatæ contemplatione hæreat; quam tamen contemplatio-
nem ad genus abstractivæ & discursivæ cognitionis pertinere, nega-
ri non potest: Sic in negotio fidei & cognitionis supernaturalis fie-
ri potest, ut intellectus virtute supernaturali, quam semel à Spiritu
Sancto, cum verbis Scripturæ concurrente & assensum fidei produ-
cente accepit, porrò in meditatione rerum tam sublimium ac bo-
norum optabilium perseveret, & quamvis non sine discursu, tamen
non reflectens animum ad discursos suos, sic versetur circa objecta
spiritualia, ac si ea citra discursum præsentia amplecteretur ac tene-
ret. Nam & aliàs docent Nostrates, vim divinam movendi & in con-
sensum trahendi hominum animos non solum esse conjunctam cum
sensu per verba Scripturæ immediatè significato; verùm etiam
cum his, quæ implicitè, virtualiter & per consequentiam in illis
continentur, ac determinare intellectum ad assensum. Adversarius
autem noster etiam inter actus intellectus & voluntatis minùs re-
ctè distingvit, & quando voluntas, postquam intellectus non citra
discursum in apprehensionem & assensum eorum, quæ divinitus reve-
lata sunt, perductus est; in amore rerum significatarum, tanquam bona-
rum

rum, aut sibi convenientium, defixa hæret, imò blandè acquiescit; ipse actus ejusmodi diversos, atqve ipsis potentiis animæ distinctos, confundit, & vestigia gregis antecedentis, illorum, qui Quakeri vocantur, secutus, intellectui talem assignat operationem, qualis in hac vita neqve in eum cadit, neqve locum habere citra excessum aut somnium humanum fingi potest: si autem citra errorem locum habeat, eò tandem redit, quod intellectus, postquam voluntas objectum sibi exhibitum intensius amare cœpit, in ejus contemplatione tantò svavius occupetur & perseveret.

XLIX. His observatis, simul etiam patet, quid respondendum sit ad illud, quod Keithus contendit, quemlibet hominem, qui experimentalem illam & sensibilem Dei cognitionem adeptus sit, gustum hunc vitæ æternæ, in ipsa visione seu intuitiva cognitione consistentem, posse deprehendere. (de quo diximus §. XXVII.) Nempe certum quidem est, quòd quemadmodum alii actus cognoscendi in seipos reflexi, seipos etiam intellectui manifestent; ita & actus supernaturales circa objecta spiritualia occupati in semetipsos reflexi, etiam seipos intellectui manifestent, partim per suum esse, quod supernaturale est, ac proinde secundum suum esse supernaturale; partim quòd Spiritus S. suâ testificatione in mentibus fidelium de actibus illis in seipos reflexis testetur; & sic *internæ operationes & illuminationes sancti Spiritus, dum adsunt in cordibus fidelium, sine aliquo externo monitore aut signo verborum quorumcunque, evidentiam sibi ipsis faciant, certissimamque & clarissimam sui ipsarum cognitionem in animis eas possidentium ingenerent*: quæ sunt verba Keithi l. c. p. 13. 14. Sed hæc est violatio status controversiæ, quòd actus supernaturales qualescunque pro actibus immediatæ illuminationis & intuitivæ cognitionis venditantur. Atque hæc illi hæctenus responsa sunt.

L. Rejectâ falsâ sententia, ad veriore[m] tradendam, confirmandamq; progredimur; ac sine mora affirmamus, prægustum vitæ æternæ importare ex parte *intellectus* quidem cognitionem supernaturalem, quâ mens humana non solum de sua cum Deo per Christum reconciliatione & acceptatione, verum etiam de ipsa in Deo per Christum consequenda beatitudine, vi promissionis divinæ, in Scripturis revelatæ, & per gratiosam Spiritus Sancti operationem obsignatæ, certior red-
ditur, & ad assensum non qualemcunque, sed fortio-
rem,

rem, perducta, bonum tam insigne ac singulare, absens quidem,
& ex se arduum, tamen ut impetrabile atq; impetrandum cognoscit;
ex parte voluntatis verò boni istius cogniti velut amplexum quendam,
seu amorem; ac spem non dubiam sed roboratam, unà cum
voluptate seu gaudio prædulci, inusitato atqve inenarrabili, cujus
sensus bonorum terrenorum suavitatem & malorum temporalium
acerbitatem seu minuat seu extingvat.

LI. Consentit hæc nobiscum B. *Lutherus*, qui in Explic.
Cap. I. Evang. Joh. Tom. VI. Altenb. fol. 1220. seqq. ostensurus quomodo
Christiani jam nunc videant cælos apertos, somnium illud Patriarchæ
Jacobi, quod Gen. XXVIII. memoratur, velut imaginem
quandam huc applicat; atqve inter alia scribit: Also sehen wir
noch den Himmel offen / ja wir wohnen selbst im Himmel / denn ob
wir wol etlicher massen in der Welt leben / so sind wir doch geistlich
angeschrieben im Himmel unter die himmlischen Bürger / und haben
unsern Wandel allda für Gott mit unserm Gebet / im Glauben und
im göttlichen Wort / auch in den Sacramenten / wandeln in der
Liebe gegen dem Nächsten / wachsen im Wort und Erkänntniß Christi /
nehmen auch zu in alle dem / das uns von nöthen ist zum ewigen Leben /
das ist unser himmlischer Wandel / welchen der Glaube hie anfähet /
und ist uns der Himmel offen / und ist unser Wohnung und Wandel
im Himmel / leben allda wie Bürger / ob wir gleich mit dem Leibe
noch auf Erden sind / welcher denn hie in diesem Leben durch das Creutz
und den zeitlichen Tod muß gepanzerfegt werden. p. 1222. Conf. p. 1224.
Similiter B. Dav. *Chytraeus* L. de morte & vita æterna p. 175. 176. ad lo-
cum Joh. XVII. 3. *Cum visionis illius beate & lucis sempiternæ particeps nemo
fiat, nisi Deum in hac vita fide agnoscere & intueri in verbo & testimoniis illu-
stribus se patefacientē cæperit, idēō communem futuræ vitæ & inchoationi vitæ
eternæ in hac præsentī vitæ, Definitionem Christus tradidit. Nam & inchoatio
vitæ eternæ seu Beatitudo in hac vitæ, est Fide æternum & verum Deum, qui
misi filium suum Dominum nostrum Jesum Christum pro nobis hominem fa-
ctum, crucifixum & resuscitatum, agnoscere, sicut se in verbo suo patefecit, &
statuere nobis placatum & propitium esse propter filium mediatorem, & præ-
lucente hac fide invocare Deum, eiqve obedire & tranquilla ac latō corde
in omnibus ærumnis consolationem, auxilium, salutarem exitum, & glo-
riam æternam expectare. Hæc lux veræ agnitionis DEI, seu pietatis*

in corde accensa, & consolatio ac lætitia in Deo, nobis propter Christum propitio acquiescens, inchoatio & gustus est vita æterna.

LII. Quod speciatim attinet ad prægustum beatitudinis ex parte intellectus spectandum, adeoque quatenus importat COGNITIONEM rerum supernaturalium, solet huc referri, quod Cyrillus Alex. in Joh. Cap. XVII. vers. 3. libr. XI. Comment. cap. XVI. scriptum reliquit: *Cognitio vita est: quia totam mysterii virtutem parurit, & mystica benedictionis affert participationem, per quam vivifico verbo conjungimur.* Et paulò post: *Cognitio igitur vita est, spiritualem nobis benedictionem adducens: per quam Spiritus in cordibus nostris habitat, in adoptionem filiorum Dei & veram pietatem per evangelicam vitam & incorruptibilitatem reformans.* Cum igitur origo & quasi pronuba omnium bonorum dictorum, cognitio Dei veri esse inveniat: rectè à Domino nostro Jesu Christo vita æterna est appellata, quasi mater & radix virtute naturæque suæ vitam æternam pariens. Conf. B. Gerb. L. de Vita Æt. C. I. §. 17. pag. m. 719. qui etiam in Harm. Cap. CLXXX. p. m. 1408. scribit: *Vera Dei in Christo cognitio dicitur vita æterna, non solum quia est modus ac medium perveniendi ad vitam æternam, sed etiam est πρόγευσις & initium vite æternæ.* Eodem pertinet, quod B. Hunnius in Comm. in Ep. ad Hebr. C. VI. P. II. Tom. IV. pag. 895. scribit: *Gustaverunt bonum Dei verbum & virtutes futuri seculi, dum ex Dei verbo divitias bonitatis divine, & quendam quasi sensum & gustum æternæ vite regniqve cœlestis perceperunt, ob signati scilicet Spiritu Sancto, tanquam arrha hereditatis electorum.* Et B. Feuerbornius T. VII. Dispp. Giess. Disp. XIII. §. 7. pag. 187. *Gustare, ait, heic (l.c. ad Ebr.) significat frui (quod antequam) & cognoscere, uti etiam sumitur, Psal. 34. v. 9. & 1. Petr. 2. v. 4.*

LIII. Ex parte voluntatis autem prægustum hunc importare AMOREM Dei, ut summi Boni nostri, docuit inter alios B. Gerhardus, quando in Meditt. SS. Medit. IX. scripsit: *Amor Dei est currus Eliæ ascendentis in cœlum: Amor Dei jucunditas est mentis, paradus anime, excludit mundum, vincit diabolum, claudit infernum, aperit cœlum.* Ad eundem vitæ æternæ prægustum pertinere etiam SPEM vitæ æternæ, probari solet ex Rom. VIII. vers. 24. ubi de his, qui vers. præc. dicebantur habere primitias Spiritus, deinceps dicitur, quod spe salvi facti sint: ac B. Gerhardus in Comm. ad h. l. p. m. 260, notat: *Quemadmodem Israëlita ex primitiarum oblatione spem*

con-



concupiebant reliqua segetis suo tempore fruenda: sic credentes ex donis Spiritus Sancti concipiunt spem gaudiorum caelestium, quae erit plena messis. Similiter, quod Ebr. VI. vers. 5. dicitur de gustu virtutum futuri seculi; cum loco cit. ad Rom. conjungens Balduinus, Disp. VII. in Ep. ad Ebr. Thes. XV. de Apostasia p. 1589. scribit: Has pii in hac vita spe gustare & ad finem usque hanc spe sustentari solent, unde & spe salvari dicimur.

LIV. Frequentissimum autem est, quod gustus ille exponitur per perceptionem interni & spiritualis GAUDII in Spiritu S. Ita Flacius in Not. ad Ebr. VI. vers. 4. Virtutes futuri seculi, ait, (quarum gustus l. c. indicatur) sunt illud ineffabile priorum gaudium ex verbo & Spiritu S. nobis proveniens, qui verè est gustus quidam bonorum ac efficaciae venturae illius vitae. Confer BB. Oslandrum & Hunnium in Comm. ad Matth. XVII. qui prægustum regni Dei seu vitae aeternae, discipulis in monte Tabor concessum de sensu gaudii electorum aut prægustu gaudii caelestis exponunt: ad quem, tenuem licet, Petrus cunctorum oblitus fuerit, quae in hoc mundo cara habuerat, & mansionem in monte facere, ibique nunquam non commorari gestierit. Conf. B. Chemn. in Harm. Cap. LXXXVII. p. m. 1675. B. Gerhardus Comm. in Matth. p. m. 752. adducit locum August. in Soliloq. c. 22. Unam ille stillam dulcedinis gustavit, & omnem aliam fastidivit dulcedinem. Quid putas, dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis tuae gustasset, quam abscondisti, o Deus! timentibus te. Conf. eund. Gerhard. P. III. Homil. p. 1279. B. Feurborn. T. VII. Dispp. Gieß. Disp. XIII. § 8. p. 187. & Disp. XVI. §. 216. p. 408. B. Meyfartum L. I. de coel. Hieros. cap. III. qui exempla talis prægustus vitae aeternae producit martyres, inter exquisitissima tormenta doloresque corporis, summæ tamen hilaritatis signa exhibentes; Laurentium, Vincentium, Job. Hussum. Ad datur Luc. Pollio Conc. II. de Vita aeterna p. 47. b. seqq. ubi scintillam gaudii à Spiritu S. martyrum animis infusam, prægustum aliquem vitae aeternae illis fuisse dicitur, cujus beneficio in medio tortorum confirmarentur, juxta dictum Prophetæ: Consolationes tuae letificarunt animam meam; quam in rem etiam Augustinus in soliloq. ad Deum dixerit: Tua dulcedo craticulam beato Laurentio dulcem fecit &c.

LV. Neque verò inter Auctores haec tenus memoratos sententiarum quaedam discrepantia est: quamvis alii prægustum beatitudinis in cognitione, alii in amore, alii in spe, alii in gaudio spirituali, consistere dicant. Qui enim gustare idem dicunt ac cognoscere, non inficiantur, verum aliquando expressè monent, Habraismum hunc esse, quò

verba sensuum ponuntur, nec tamen subsequentes motus excluduntur. Ita Feuerbornius l. c. ex Flacio. Et Dorscheus exponens locum Ebr. VI. verbum sensus, ait, non nudam sensationem, sed & motus annexos denotat. Qui autem gustum illum in calu recto de amore, spe aut gaudio exponunt, supponunt cognitionem intellectus circa objecta amoris, spei aut gaudii occupatam: cum voluntas non feratur in incognitum.

LVI. Illud nonnihil difficultatis habere videtur, quod quidam occasione loci Cap. VI. ad Ebr. Qui gustaverunt virtutes futuri seculi, docuerunt, fideles in hac vita beatitudinis cœlestis in altera vita non tantum aliquam speciem, sed ipsasmet virtutes, & bona ipsa cœlestia percipere, imò intimis veluti medullis excipere, ac si delicias illas de ligno vite, Apoc. II, 7. 17. manna absconditum & aquas vivas fluvii crystallini de throno Dei & Agni procedentes degustarint, iisdemq; se refecerint. Apoc. XXII, vers. 7. *πρωγευσα & προνοτισουον* suavitatis bonorum cœlestium sentiendo & experiendo. Sed quando certum est, hypothesein Quakeris receptam de visione Dei intuitiva in hac vita fidelibus conferri solita, non solum non probari illis, sed refutari: non est, cur verba illa nostræ & aliorum nostratium sententiæ obesse putentur. Nam & hoc potius observandum, proferri talia in oppositione ad Reformatorum aut Calvinianorum sententiam, qui, ut veram de fide *πρωγευσα* doctrinam declinare possint, verba Apostoli de *πρωγευσα* virtutum futuri seculi sic exponunt, quasi non denotetur interna ac spiritualis quædam operatio Spiritus S. atque ejus sensus aut perceptio in animo hominis; sed quæcunq; initium, species aut simulacrum fidei, à fide vera ac plena distinctum, seu levis & tenuis quidam gustus aut cognitio suavitatis vite æternæ, quæ non habeat adjunctam immutationem voluntatis ad diligendum Deum pro tanto beneficio; quemadmodum Piscator statuit: ad cujus erroris exclusionem, seu in oppositione ad illum, negatur, illos, de quibus Apostolus loquitur, tantum speciem aliquam beatitudinis percepisse; quippe qui ipsa bona cœlestia intimis medullis perceperint; quod etiam deinde exponitur de gustu donorum cœlestium per veram fidem: & agnoscitur, fidem à visione intuitiva distingvi. Nempe quamvis cognitio hujus vitæ, quæ abstractiva est, aut per speculum fit; plurimum differat à visione, quæ fit facie ad faciem: conveniunt tamen in esse supernaturali ac dependentia à peculiari, benigna, interna ac vires nostras naturales transcendente ope-

operatione Dei in nobis: conveniunt etiam, quod utrinque cognitio non est otiosa, sed amorem, aliosque actus voluntatis secum trahit: denique quod utrinque circa Deum tanquam bonum summum aut finem objectivum animus hominis occupatur, licet actus ipsi huius & alterius vitæ, circa Deum tanquam summum bonum occupati, inter se rectè distingvantur ac distingvi omninò debeant. Quæ quidem ad consensum Nostratum ostendendum & occasionem cavilandi adversariis præcidendam dicta sufficiant.

LVII. Cæterum quod in hæcenus recensitis actibus intellectus & voluntatis reverà consistat prægustus aliquis vitæ æternæ in vita præsentè, citra difficultatem ostendi potest. Certum est, Deum esse ultimum illud & absolutè summum bonum, quod à se est, & à quo res aliæ omnes bonitatem suam habent: quodque proinde propter se non propter aliud expeterdum est, & quo obtento appetitus hominis satiatur & quiescit, seu homo beatur. Certum etiam est, hominem Deo velut summo bono, & ad consequendam in eo beatitudinem, potiri per operationem intellectus seu cognitionem perfectissimam, quæ homo Deo jungatur: eundem frui Deo per actum Amoris intensissimum, quo ei, tanquam bono suo cognito, inhæreat, propter ipsum: unde resultat gaudium, seu blanda voluntatis in bono præsentè acquiescentia. Confer. quæ diximus §. VII. In quo igitur alio collocabimus prægustum beatitudinis, quam in actibus circa Deum, summum Bonum nostrum, in hac vita occupatis, atque analogiam quandam ad actus vitæ alterius, in quibus ultima beatitudo consistit, habentibus? Nempe sicut homo peccator in hac vita Deo tanquam Bono suo summo quodammodò potitur per actum fidei in Christum, quæ Deo reconciliatur; ita certum est, eum hæc ipsa operatione eò perducì, ut impetratâ remissione peccatorum, Deum gratiâ suâ sibi intimè præsentem, propitium, faventemque & plenioris post hanc vitam felicitatis consequendæ causam, cognoscat: qui prægustus est ipsius visionis beatificæ aut intuitivæ, in vita altera locum habituræ. Quando autem homo Deo per Christum reconciliato per actum Amoris in hac vita inhæret propter ipsum, & cum Davide dicit: *Quis mihi in cælis præter Te o Deus! & præter Te nolo* (quænam) *in terra. Psal. LXXIII, v. 25. Tantummodò in Deo quiescit anima mea: ab eo salus mea est Psal. LXII, v. 2: Sanè hic prægustus est*

stus est ejus amoris, quò beati post hanc vitam Deo perfectè inhærebunt ac fruuntur. Deniq; quando homo in Dei per Christum propitiū ac plenam beatitudinem aliquando collaturi contemplatione; jam in hac vita occupatus, ipsam beatitudinem, ut bonum, absens quidem atq; arduum, possibile tamen & quod se obtenturum credit, ita appetit, ut interim pascat animum in beatitudinem illam posthac consequendam intentum, & collatione boni spiritualis hujus vitæ certio-rem factum: ecce prægustum gaudii in vita altera consequendi: ecce primitias messis optimæ aliquando secutura!

LVIII. Verùm hæc fortassis vulgaria nimis videntur & for-
dent illis, qui singularia quæerunt, ac talem prægustum beatitudinis,
qui hominibus per *ἐκστασις* quandam contingat, & revelationes no-
vas rerum ex Scriptura per necessariam consequentiam non deducen-
darum importet.

LIX. Fortè etiam huc spectare videtur, (1) quod B. *Luthe-
rus* scripsit in Explic. Cantici Mariæ seu *Magnificat*. T.I. Altenb. fol. 758.
a. Mariam in verbis, *Magnificat anima mea Dominum*, dicere voluisse:
*Es schwebt mein Leben und alle meine Sinne in Gottes Liebe/Lob und
hohen Freuden/das ich mein selbst nicht mächtig/mehr erhaben werde/
Denn ich mich selbst erhebe zu Gottes Lob; & addit: wie denn geschicht
allen denen/die mit Göttlicher Süßigkeit und Geist durchgossen wer-
den/das sie mehr fühlen/denn sie sagen können.* Prætereà verò (2) non
pauca memorantur exempla, testimoniis hominum fide dignorum
comprobata, quòd piis, fidelibus ac devotis quibusdam Christia-
nis, masculini pariter ac fœminei sexus, paulò ante beatam mor-
tem, cum animæ à corpore discessuræ, jamque cœlo, quàm terris
viciniores, certè magis intentæ essent, peculiare visiones ac re-
velationes vel in somno vel vigilantibus obtigerint, quibus se in Pa-
radiso aut horto amœnissimo esse, aut sanctos Angelos lecto adstare,
cantus eorum dulcissimos se audire, aut ipsum cœlum velut regium
Dei thronum, Christum quæ glorificatum cernere sibi visi fuerint.
Quem vitæ æternæ in hac mortali vita dulcem prægustum, non autem
meras speculationes aut imaginationes corruptæ vi morborum
phantasiæ fuisse, judicant Theologi Lubecenses, Hamburg. & Lünebur-
genses P. I. *Der Lehr- und Schutz-schrift wider dem Guthm Offenb.
Patron.* p. 335. seqq. & exempla varia ipsi adducunt v.g. *Stephani Act. VII.*
Presby-



Presbyteri cujusdam, qui Cypriani Collega fuerit; Theodori martyris, tempore Juliani Imp. & recentia plura ex variis Scriptoribus collecta: quibus, si opus foret, etiam alia possemus addere, non incertis relationibus nobis cognita.

LX. De quibus ut rectè judicetur, sciendum est, utique prægustum beatitudinis habere suos gradus ac differentias, ac dari alium quidem *communem* fidelibus, cujus omnes possunt fieri participes & per ipsum fidei sensum participes fiunt: qualis est ille, quem §. XLVI. descripsimus: atque eò pertinere credimus loca Ebr. VI. 4. & I. Pet. II. v. 3. alium verò *variorem* ac peculiari Spiritus S. gratià collatum; ubi rursus vel imagines quædam Phantasiæ dormientium aut vigilantium supernaturaliter objiciuntur; vel sine istis, sanctæ quædam cogitationes in intellectu, ac motus in voluntate singulariter excitantur: atque huc referenda sunt, quæ §. proximè præced. indicavimus exempla. Ita ante nos, approbantibus & laudantibus Theologis Argentinensibus, B. Dorscheo, & B. Dannhauero, A. 1650. in Libro, cui titulus *Aurora, sive Prægustus vite æternæ*, docuit B. Israël Murschelius, Pastor Bischensis & Hohenheimensis; qui Cap. II. descriptionem internæ illius voluptatis animæ tradens, atque inter cæterorum, VI. pag. 72. exponens, quòd sit *motus quidam subitaneus*, qualem veteres dixerint esse *raram horulam, brevem morulam*; quique sit quasi osculum divinum, momento illatum; aut suavissimus odor, citò afficiens, citòque deficiens; hâc occasione monet, se loqui de gaudio illo in virtute sua sublimiore: aliàs enim, addit, *sicut quotidie manna cum rore decidit, ita fideles quotidie in fide Spiritus S. solatium & vim sentire; & quemadmodum infans quotidie ex uberibus matris novas vires sugendo sibi contrahit; sic hominem quotidie ex verbo Dei, tanquam uberibus spiritualibus, vires novas vite spiritualis accipere. Et, quemadmodum Deus bonitatem & gratiam suam quotidie de cælo manifestat, ut palpare eam & videre possimus; sic ipsum se per verbum & Spiritum S. quotidie in cordibus nostris manifestare, ut dulcedinem ejus gustemus. In illis, quæ l. c. sequuntur, docet, motum illum proficisci ex liberali ac libero dono Spiritus S. qui ignem illum gaudii in alio magis, in alio minus excitet, pro suo, non nostro beneplacito, eoque refert, quod L. Osiander in Psalm. LXIX, scripsit: *Gaudium spirituale in alio majus est, in alio minus: & alic tempore majus est, alio minus, quia adhuc circumferimus vsterem Adamum.**

Deni-



Denique docet, quanto profundius homo in agnitionem magni amoris & beneficiorum Dei immittitur, tanto magis eum amare Deum, tanto magis gaudere in Deo; adeoque gaudium illud spirituale mensuram capere ab amore Dei amati: nec tamen mutat, quod dixit, liberum hoc esse Spiritus S. donum, pro suo, non nostro, beneplacito collatum.

LXI. Itaque juxta hactenus dicta non solum facilius intelligitur, quod diximus, dari gradus ac differentias prægustus beatitudinis; verum & illud, quod B. Lutherus docuit, homines divinam dulcedine ac Spiritu perfusos non tam agere, quam agi, plus sentire, quam enunciare possint. Nam & illa, quæ supra diximus vulgaria aut levia posse videri; si actu ipso præstentur, sublimitatem ac vim suam omnino ostendunt, quamvis ab aliis non expertis contemnantur. Et præterea non negatur, dari gustum bonorum spiritualium præstantiorem, qui communem & quotidianam fidelium fortem excedat, cujus beneficiò anima hominis, liberaliore Spiritus S. beneficiò, ad amoris aut bonitatis divinæ perceptionem seu cognitionem singularem evecta, ipsaque suo amore inhærens Deo, gaudium quoque intensius experiatur.

LXII. Cæterum, quod ad *ecstasin* illam attinet, sunt, qui distinguunt inter *ecstasin intellectus*, qua huic repræsentantur cognitiones rerum admirabilium, quæ eum supra vires naturales suspensum teneant; seu quæ noster intellectus, mediante speciali claritate divinitus concessa, incipiat contemplari mysteria divina, ex contemplatione minimè ordinaria, sed longè sublimiore, quæ majorem pulchritudinem in illis deprehendat, quam sibi imaginari potuerit; (quam etiam *ecstasin admirationis* vocant:) & *ecstasin voluntatis*, per quam anima, capta amore cœlesti, vibret & transferat se in Deum, derelinquens inclinationes & propensiones suas terrenas, atque intrans hoc modo in raptum fruitionis, affectionis, sive unice & potenter se jungat bonitati divinæ: credunt etiam, has duas facultates inter se quidem communicare suos raptus, dum intuitus pulchritudinis inducat nos ad amorem ejusdem pulchritudinis, & amor faciat nos illam contemplari; non tamen eas ita inter se esse colligatas, quin una esse possit sine altera; ac boni Christiani plus aliquando habere possint amoris, quam habent cognitionis. Vid. Franc. de Sales, Lib. VII. de Amore Dei Cap. III. & seqq. Hoc certum est, quod homines etiam
simpli-

simpliciores, fideles tamen, & quorum intellectus ex imperio voluntatis piè affectæ determinatur, ut objectis obscure cognitis firmiter & constanter adhæreat; prout in supernaturalem credendorum assensum per vim & efficaciam Spiritûs Sancti tantò faciliùs moventur, quantò minùs indulgent spinosis dubitationibus; ita etiam virtute supernaturali ac libera Spiritûs S. ad ardentiorum amorem bonorum spiritualium sibi exhibitorum moveantur, eaq; tanquam sua ac præsentia, aut ex præsentibus pendentia atqve aliquando consequenda, sic amplectantur, ut se ipsis superiores, aut sui ac rerum hujus vitæ oblitæ, in bonis illis defixi hæreant, ac suavissimè afficiantur, quamdiu actus ille supernaturalis non impeditus durat. Circa ecstases autem illas, præsertim intellectûs, magnâ cautela opus est, ne pro divino opere ac beneficio agnoscamus & amemus, quod naturale, vel naturæ vitium, vel mali Spiritûs illusio est: quod etiam *Franc. de Sales* ipse l. c. diligenter monet. Affectare ecstases intellectus, & cum *Val. Weigelio* optare, ut *vel ad horæ dimidia spatium fias truncus*; (*O möchte ich ein Kloß seyn nur eine halbe Stunde / ich würde ein Prophet und Apostel / in Postill. Dom. XII. Trinit.*) à Christianis moribus & exemplis prorsus alienum est, eaqve ratione potiùs Diabolo via aperitur, ad seducendas animas credulas & periculo sese offerentes; prout exemplis Gentilium, Pontificiorum & Anabaptistarum constat. Sed hæc pro nostri instituti ratione prosequi ulterius non licet. Videri tamen possunt, quæ scripserunt *Theol. Lub. Hamb. & Luneb. in ausführl. Bericht S. 297. seqq. p. 150. seqq.*

LXIII. Quamvis igitur negare non audeamus revelationes singulares omnes, quibus Deus homines fideles de gratia sua & secura beatitudine certiores reddat, quarum exempla non pauca extare audivimus & confessi sumus: tamen hæc rariora atqve extraordinaria, non tam promissa esse, quam arcanò Dei consilio & abundantanti bonitate conferri solere, fateri cogimur. Moribundis etiam talia contingere, magis credibile est, qui velut in limine vitæ beatæ constituti, sensum ejus abundantiorum percipiant; quam viventibus ac valentibus. Atqve inter eos, qui morti proximi sunt, martyribus & afflictioribus aliis, præsertim his, qui tentati sæpiùs, ac fidei exercitamentis ardentiq; vitæ æternæ desiderio præparati sunt, prægestum illum singularem frequentius, quam aliis, conferri, exempla

F

hæc.

hactenus docuerunt : quamvis ut libertati summi Numinis limites ponamus, utique religioni nobis esse debeat.

LXIV. Patet autem ex hactenus dictis, quid respondendum sit ad quaestionem : utrum prægustus vitæ æternæ nobis à Deo conferatur immediatè ? an mediante verbo, tanquam organo, aut instrumento ? Certum est, verbum Dei, quod & verbum Scripturæ dicimus, exhibere nobis doctrinam de bonitate Dei planè stupenda, & amore erga genus humanum, deque multis ac singularibus atque omnem rationis humanæ captum transcendentibus beneficiis, per Christum mediatorem nobis exhibitis, æternæ beatitudinis nobis conferendæ causâ. Certum autem & illud esse debet, quòd per verbum hoc, tanquam per organon, divinâ concurrente virtute efficax ac salutare, vires spirituales ad assentiendum, amplectendaque bona exhibita, ad inharendum illis atque acquiescendum in his, quæ præsentia sunt, tanquam causas futurorum, non solum conferantur, sed & collatæ roborentur, atque augeantur : ut adeò, si de prægustu illo beatitudinis, fidelibus in hac vita communi, sermo sit, non dubitemus asserere; eum verbo illi, tanquam causæ instrumentali originem suam debere.

LXV. Imò ne Sacramenta quidem hîc excludimus, ac non tantum Baptismum, etsi in infantia collatum; verum etiam æquè aut magis, Sacramentum Cœnæ, quod aliàs Confirmationis dicitur, dum fidei robur addit, hoc ipso cognitionem bonorum spiritualium, ac spem vitæ æternæ pleniorè, gaudiumque ingens accendere aut intendere, credimus. Quam in rem digna sunt lectu, quæ *Marschelinus* in laudato Tractatu de *Aurora* seu Prægustu vitæ æternæ scripta reliquit Cap. IV. & seqq. usque ad XIII. ubi prolixè ostendit, gaudium illud *sublime*, in quo consistat prægustus vitæ æternæ, accendi, nutriri, & conservari in nobis per revelationem magni amoris Divini in nobis : hanc autem obtingere mediante *Evangelio*, tanquam speculo amoris divini, in facie *Jesu Christi* : seu in quatuor operibus principalibus nostræ redemptionis : *Incarnatione, Passione ac Morte, Resurrectione, & Ascensione Christi*; atque in his fundata copia *promissionum divinarum*; quibus accedant Sacramenta *Baptismi & S. Cœnæ* : quin imò ipsum devotæ orationis exercitium, quibus mediantibus cœlesti illo amore & gaudio perfundatur homo Christianus. Quamquam enim ille terminò *materiae improprie*
sic



sic dicta ex qua, non autem causæ organicæ, in eam rem utatur; facile tamen, ubi opus foret, ostendere possemus, eum in re ipsa à nobis non differre.

LXVI. Quod si aliquando, præter prægustum fidelibus communem & ordinarium, extraordinarius aliquis ac singularis, de quo §. LX. actum est, uni alterive fidei contingat, quem proximè à verbo aut Sacramentis proficisci non apparet; hoc tamen neque obstat ei, quod ordinarium est; nec negari potest, à verbo & sacramentis, unde fides pendet, nihilominus suo modo dependere: de quo aliàs, occasione controversiarum cum Enthusiasticis, luculentius agendi locus est. Interim saltem hoc relinquitur, quòd prægustus ille non fiat sine verbo interno, ac speciebus intelligilibus, vel mediante verbo externo, vel mediantibus imaginibus phantasiæ oblati, vel per immediatam illuminationem intellectui impressis: adeòque ab ipsa intuitiva Dei visione, quæ vitæ alterius est, plurimum differat.

LXVII. Paucis etiam de eo videndum: an? & quæ ratione prægustus vitæ æternæ ad corpus hominis fidelis sese diffundat? cuius quæstionis, §. XXI. indicatæ, decisionem hucusque distulimus. Falsum utique est, spirituales illam objectorum supernaturalium perceptionem, ad corpus, quod materiale est, formaliter pertinere. Sed nec dici potest, perfectiones illas corporis, quæ in altera vita locum habebunt, atque ad integritatem beatitudinis pertinent, (quarum §. VII. mentionem fecimus;) videlicet impassibilitatem, agilitatem, claritatem, jam in hac vita anticipando conferri, & sic beatitudinem prægustari. Imò ne de his quidem hîc sermo est: ut ex dictis constat. Veruntamen quia magnum atque arctissimum est animæ cum corpore, dum huic illa conjuncta est, commercium; ac non solum, quando mens contemplationibus rerum sublimium attentius vacat, sensus externi quodammodo quiescere solent; sed & quando voluntas bonum aliquod, etsi immateriale ac supernaturale, amando complectitur, ac de eo gaudet; fieri potest, ut etiam spiritus animales, qui sunt in corpore, in consensum vocentur, ac suaviter commoveantur: ideò non videtur omninò negandum esse, quòd actus illi animæ rationalis, in quibus prægustus beatitudinis formaliter consistit, etiam corpus in participationem aut communionem



quandam vocent, quatenus vel inhihent apprehensionem objectorum sensibilium ac propinquorum satis, per organa seu partes corporis ad percipienda illa dispositas, aliàs percipiendorum; vel in corpore alterationem aut motus quosdam secum aut post se trahere possint. Et quemadmodum *Proverb. Cap. XVII. vers. 22.* dicitur *Cor letum benefacere, ut medicinam;* & *Cap. XV. vers. 13.* *Cor letum decorare faciem;* id est animum ex boni amati ac presentis sensu & fruitione, suavi voluptate perfusum, Spiritus vegetos sanguinemque nobilem gignere, atque id præstare, ut decora sit vultus atque habitus externi totius compositio, frons exporrecta, oculi micantes, genæ rubicundæ, labia ac membra reliqua formam bonam aspectuque jucundam referant: prout *παραφρασεις B. Geierus* in Comment. idque non tantum valere dicit, quando cor gaudet de objecto carnali, sed *primario nobis hic sisti conscientiam bonam, ubi homo de Dei sui reconciliatione ac favore filialiter certus, gaudium concipit ex hac sui cum Deo unione.* Et quando David orat *Psal. LI. vers. 10.* *Audire me fac (Deus) gaudium & letitiam, & exultent ossa, quæ contrivisti;* laudatus interpretis *ossa exultare docet, quando non vultus tantum exterior præ se fert letitiam, sed ubi ex animo letamur toti, ut omnes quasi fibrae ac ossa suavitatem illam animi letantis simul persentiscant, motuque suo ac gestibus externis testentur internum illum mentis statum.* Quæ ratione etiam cum *Psaltes Ps. LXXXIV. vers. 3.* dicit: *Cor meum & caro mea exultant ad Deum vivum;* verba sic exponit ille: *Quotiescunque post seria mea desideria compos reddor votorum, atque in Spiritu tuas gusto, Domine, delicias, tunc ad te præ gaudio exclamo, canto &c.* Sic in eo, quem tractamus, præ gustu beatitudinis ne utiqvam negandum esse videtur, quod & corpus hac ratione in participationem gaudii perveniat, idque videtur exemplis martyrum ac fidelium aliorum, præsertim qui sub finem hujus vitæ insigniorem vitæ æternæ *προπόσιον* capiunt, satis manifestè probari. Verum hinc probè attendendum est, ne pro his rationali animæ congruis motibus, *tremorem* ejusmodi substituas aut substitui patiaris, qui epilepticis aut maniacis aut obsessis magis, quam usu rationis pollentibus convenit: & phantasia corruptam, aut Spiritum vertiginis, auctorem potius arguunt, quam Sanctum Dei Spiritum, qui gratiæ suæ donis non tam corrumpit naturam quam perficit atque *ευσχυμοσύνην* in omnibus Christianorum actibus



actibus elucere, ac τὰ σπουδὴ καὶ τὰ εὐφροσύνη, quæ gravitatem san-
ctam spirant ac boni nominis sunt, exprimi jubet. I. Cor. XIV. v. ult, Phil.
IV. v. 8.

LXIX. Denique de *Fine*, quem Deus prægustum Beatitu-
dinis conferens intendit, breviter agemus. Est autem ille 1. con-
firmatio fidei nostræ, quæ credimus vitam æternam: ubi simul includi-
tur confirmatio fidei nostræ, quatenus objectum ejus est Bonitas Dei
seu benigna voluntas, quæ terminatur ad nostram salutem. 2. ut ab-
ducantur animi nostri à desiderijs ac voluptatibus hujus mundi: ac
potius 3. incendantur ad desiderandam ardentius vitam æternam
seu plenam Dei, tanquam summi boni, consecutionem ac fruitio-
nem: interim 4. *adversa quævis in hac vita æquò animò tolerant, de cetero*
titudine secutura felicitatis ac gloriæ confirmati, quæ sunt verba Gerh. L.
de V. Æ. §. 19. p. m. 744. Denique 5. ut salutem ipsam aliquando
consequamur; ac 6. divinæ bonitati, & hæc & in omnem æternita-
tem, sua constet gloria.

LXIX. Atque ex his facile nascuntur præcepta praxeos Chri-
stianæ, quibus usum hujus doctrinæ ostendamus, memores promissi
nostri §. V. facti. Scilicet in ipso fine, quem Deus hæc intendit, inclu-
duntur non pauca à nobis præstanda, aut ad actus vitæ Christianæ de-
ducenda. Ut tamen de his, quatenus ex hæcenus traditis in hac
Dissertatione fluunt, paulò plenius constet, sequentia notari possunt
enthymemata;

1. Datur prægustus vitæ æternæ th. II. III. & IV. Itaque qui
gustandi facultatem habent, ne gerant sese velut sensu carentes aut
ratione. Sed quæ retrò sunt obliviscentes, ad ea, quæ priora sunt,
seipso extendant &c.

2. Deus est auctor prægustus illius. th. X. Hominum est, vel
ideò in pretio habere bonum Θεός δωρον: quod tantò præstantius est,
quanto major est, qui donat.

3. Deus suâ bonitate ac favore gratuito impellitur, ad illum
nobis concedendum. th. XII. Nostrum est, hinc agnoscere, quàm sva-
vis sit Dominus; ei gratias agere, ac celebrare nomen ejus.

4. Christus beneficium illud suâ obedientiâ nobis prome-
ruit, th. XIII. Amemus ergò illum, qui nos prior dilexit.

5. Confertur prægustus V. Æ. mediantibus verbo & sacra-
mentis,

mentis. th. XVI. & LXIV. Sint nobis proinde eloquia Dei dulcia, præ
melle, & cunctis, quæ sensus oblectant. Nec pigeat meditari in lege
Domini die ac nocte. Celebrentur cum devotione sacramenta, tan-
quam visibilia invisibilis gratiæ media. *Conf. i. Pet. 2. 1. pp. ubi ex eo, q. 10. 3. tit. de p. b. in*

6. Præ gustus ille his obtingit, qui conversi & cum Deo *sest adm.*
reconciliati sunt. th. XVII. Quod si terrena tibi multum placeant, &
curva sit in terras anima, cœlestium inanis; cogita, te alienum esse à
Deo, eumque tibi adversum.

7. Possunt, qui semel præ gustârunt beatitudinem, tamen
perire. th. XIX. Itaque qui gustavit, ne efferatur animò: qui stat,
videat, ne cadat.

8. Beatitudinis præ gustus intellectu & voluntate percipitur.
th. XX. & XLVI. Pudeat verò eos, qui nesciunt animi imperio, cor-
poris servitiò uti, verùm vitiis corporis animum quoque unà præ-
gravant, & humi affigunt auræ divinæ particulam.

9. Diffunditur tamen præ gustus ille ab animo in corpus. th.
XXI. & XXIV. Itaque detur opera, ut corpus nostrum tanquam tem-
plum Spiritus Sancti sanctum sit, & membra nostra sint arma justi-
tiæ.

10. Præ gustus beatitudinis non infert ipsam beatitudinem,
sed futuram pollicetur. th. XXIV. seqq. Quod si tamen tam suaves
sunt primitiæ; messis ipsa verò multò magis opima ac dives succedet:
tantò magis in nobis vitæ futuræ desiderium crescere fas est.

11. Præ gustus V. Æ. lucem spirituales seu cognitionem re-
rum supernaturalium importat. th. LII. Nisi nativam cœcitatem &
corruptionem intellectus agnoscas, ac temeraria iudicia reprimas, non
impetrabis illum.

12. Decet autem illuminatos, ut tanquam filii lucis ambu-
lent, & quotidie mentem excolant scrutiniò atque observantiâ præ-
ceptorum Dei.

13. Amorem Dei importat præ gustus ille. th. LIII. Moriatur
ergò in nobis *Φιλαντία* inordinata, amor mundi ac deliciarum ejus.

14. Spem quoque firmiorem beatitudinis ille confert. th. LIII.
Hanc ut impetremus, necesse est, ut de nobis ipsis desperemus, nostræ
dignitati virtuti que nihil tribuamus.

15. Cæterum ne angamur dispendiò bonorum hujus vitæ fu-
gacium,



gacium, quando spes certa superest perfectiorum ac perennium se-
cutorum.

16. Gaudet animus prægustans beatitudinem. th. LIV. Ideò-
que absorbendæ sunt vitæ præsentis amaritudines; neque fas est, ut
indulgeamus doloribus mundi, qui mortem afferunt; sed quasi do-
lentes, semper gaudeamus.

17. Potiri Deo in hac vita per fidem licet. th. LV. At servare,
ne perdas, quotidianæ sollicitudinis res est.

18. Frui quoque illò per amorem & in eo conquiescere con-
tingit. th. ead. At cavendum, ne curis hujus seculi quies, turbetur ac
desinat.

19. Dantur gradus prægustus V. Æ. th. LX. Sed prima optan-
tem pium est in secundis tertiisque, ex voluntate Dei, consistere.

20. Motus gratiæ abundantioris non semper æquè sentiun-
tur. LX. Sic amor quidem Dei perpetuus mutui amoris constantiam
exigit: at beneficiorum singularium inæqualitas fastidio nostro oc-
currit, ac desiderium gratiæ pariter & gloriæ acuire debet.

21. *Quapropter, fratres, potius operam date, ut vocationem & ele-
ctionem vestram firmam efficiatis: hæc enim si feceritis, non labemini un-
quam: siquidem ad hunc modum abundè ministrabitur vobis introitus
in æternum regnum Domini nostri & Servatoris Jesu Christi: monente Pe-
tro, II. Ep. I. 10.*

22. Datur prægustus beatitudinis fidelibus communis. th.
LX. Itaque unus omnium sit amor, quo corda nostra inter se co-
pulentur, cum spe plenioris & æternæ conjunctionis in vita altera.

23. Datur autem & excellentior ac rarior prægustus V. Æ. quò
homines aguntur magis, quàm agunt; I. c. Atque is abnegationem
nostri, & renunciationem propriæ concupiscentiæ nobis commendat,
ut per omnem vitam Deo dediti ac voluntate nostrâ ipsius voluntati
submissi vivamus, crucifigentes carnem cum affectibus & concupi-
scentiis, ut non tam nos vivamus amplius, quàm Christus in nobis.

24. Non solum perfectioribus in notitia sacra, sed & simpli-
cioribus, beneficium prægustandæ beatitudinis Deus largitur. th.
LXII. Scilicet non est *προσωποληψία* apud Deum: atque eorum est, qui
sapientiores sibi videntur, ut caveant, ne simpliciores contemnant, qui
facile ipsos antecellere possunt.

25. Imò

25. Imò quia sublimium myſteriorum cognitio quædam absq; ſanctitate voluntatis eſſe poteſt. th. ead. notandum eſt illud: *ſi habeam prophetiam, & noverim myſteria omnia, omnemque ſcientiam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* 1. Cor. XIII. Multi enim aliquando dicent: *Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus?* quibus ille reſpondebit: *Nunquam novi vos,* Matth. VII. 22. 23.

26. Revelationes extraordinariæ veræ à falſis difficulter diſtingvuntur, th. LXIII. Itaque ne fidamus cuivis ſpiritui: neque intemperantiùs deſideremus apparitiones; contenti lege & teſtimonio.

27. Fideles moribundos recreat Deus præguſtu beatitudinis. th. ead. Tantò minùs amarum ſit mori; quando Dominum tam bonum habemus.

28. Interim dum diſſolvi cupimus & eſſe cum Chriſto, non tamen grave ſit expectare, donec hora Domini venerit. Et ſit in ſilentio ac ſpe fortitudo noſtra.

29. Gaudium ſpirituale, quod ab anima ſe in corpus diffundit, nonnunquam per actus externos decenter apparet. th. LXVII. Unde docemur, Chriſtianos rectè ſe diſtingvere ab hypocritis *συνομοις.* Matth. VI. 18.

30. Finis ultimus collati à Deo præguſtùs beatitudinis eſt gloria Dei. th. LXVIII. Sit eadem ultimus omnium actionum noſtrarum

FINIS.



Æterna





A Ternæ cupidis vitæ conamine docto
PRÆGUSTUM SECLI placuit monstrare BEATI:
Gratulor ; Hoc opus ingenii est, gratiqve labores.
Perge ; brevi dignos meritis gustabis honores.

Gratul. scrib.

FRID. BECHMANN. D.

P. P.

Quam fessa curis, pressa mole criminum,
Quærit gemendo mens beatitudinem ;
Tu polliceris, gustu amabilissimò,
BERGMANNE, in his vitæ fruendam tædiis.
O dulce nectar ! cura libandi optima !
Hæc una gutta mille præstat congiis,
Quos mundus avidis exhibet mortalibus,
Sic hora studiis unica data talibus,
Vel plurium superat labores mensium,
Quævis curiosa se fatigant pectora ?
Tu dulcibus, BERGMANNE, miscens utile,
Punctum omne, Disputator insignis, feres.

*Testandi amoris gratia,
cum voto optimorum successuum
scrib.*

PRAESES.

G

Cœ-

Coelum cœlestis vitæ prægustus adumbrat,
Hinc ad se studium traxit & ipse tuum.
Pergito, Theisophies degusta dogmata porro,
Cura Tibi fidei, dein pietatis erit.
Sic persentiscēs claros cum scœnore fructus,
Qvos dabit Eusebie pura, Deusqve dabit.

Eximio DNO. Respondentē

Lm^q3 f.

VALENTINVS Balthem/

SS. Th. D. ejusdemqve
P. P. ordin.

A Eternæ tractas dum vitæ gaudia, plausus
Tam sanctum studium provocat usqve tuum.

gratul. scrib.

J. P. SLEVOGTIVS, D.

& Prof. Publ.

A Eternæ vitæ prægustum edisseris. Euge!
Te duce cur nequeant vivere Christicolæ?

Præstantissimo atq; eximio Dn. BERGMANNO,

*Convictori & inquilino gratissimo, doctissimam
dissertationem Theologicam edenti, priscum*

FELICITER! adclamans, hæc scribebam

CASPAR POSNER, P. P.

& Collegii Philosophici p. t. DECANUS.

A Spice, quàm claro modò fulgent sidera cœlo,
Et solito Pœbus purior orbe nitet,
Et gaudet lætis vernanti gramine campis,
Floribus & molli cinctus odore comas.

Omnia

Omnia quæ spondent venturi commoda seclî,
Et nova promittunt tempora, fata nova.
Cujus in his terris PRÆGUSTUM sentit & orbi
Tradit BERGMANNUS, pagina sacra docet.

*Eruditione & pietate conspicuo DN. BERGMANNO
gratulatur*

Joh. Schismuth / P.P.

GAudia quanta pios maneant in sede beata,
Non mens terrenis obsita nosse potest.
Prægustum saltim Tu monstras ore disertio
Vitæ, quam nunquam finiet ulla dies.
Adprecor hos ausus felices! summus Jova
Tî tandem plenè gaudia nosse dabit.

*Hac amicitia testanda ergò ad-
ponere voluit*

JO. ANDR. Schmidt /
Log. & Metaph. P. P.

CL. VIRO - JUVENI,
DN. JOSEPHO BERGMANNO,
SS. Theologiæ Studiosissimo,
Fautori optimo,

*Eruditissimæ Dissertationis, quæ est
de*

PRÆGUSTU VITÆ ÆTERNÆ,
AUCTORI

*Brevissimis hincce prolixissimum, suamq; debitum affectum
transcribebat*

M. ULDARICUS HEINSIUS, Fac. Phil. Adj.

TE, qui rimaris prægustus abdyta cœli,
BERGMANNVM monstras; Nomen & omen habes!

Multe



Multa patent, sed plura latent de flumine vitæ;
Hæc augere queunt, illa domare sitim.
Promicat æternæ rutilans aurora diei,
Lux tamen hæc subito, fulguris instar, abit.
Libamus dulcem, qui stillat ab æthere, rorem,
Et tamen occultum Manna perenne manet.
Eschcolis hanc uvam vindemia plena sequetur,
Primitiæ messis nobile pignus habent:
Si jam primitiæ, si jam movet uva salivam,
Qvales delicias messis adulta dabit?

*Egregius Clariss. atq; Prestantiss. Dn. BERGMANNI.
Fautoris sui diligentissime colendi conatibus
ex animo favet atq; applaudit*

M. CHRISTOPH. Wegleiter /

Fertur Saxonice argentea mensa fodinis
Effossa: ait, BERGMANNE, fodis mensam meliorem
Instructam dapibus, quæ dant gustum æthera summum,
Hanc clare monstrat Tua Dissertatio docta,
Insta quærendo, mox se offeret aurea mensa.

f.
CHRISTOPH von Festenberg / PAKISCH
genand / Eqves Siles.

Qvos hac in vita cœlestis cura salutis
Tangit, jam gustant, quanta sit illa salus.
Pro tali vere BERGMANNUS noster habetur,
Hinc etiam tantum tradere dogma valet.


gratulab. l. m. g. f.
M. NICOLAUS Eggers /
Lunenburgensis.


Montis Apollinei, BERGMANNE, cacumina prendis,
Inclaro Pindi vertice clarus ovas.
Ominor. Ad sacri montis sacrata Sionis
Culmina, moxqve TIBI strata parata sient!

f.
M. JOH. Knauer / Geranus.









B.I.G.

Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, Blue

Farbkarte #13

14

INSTITATIO THEOLOGICA

De

VIVITAE
TERNÆ,

QVA

TI A DECLARATUR, EA VERO

QVAM

IUS KEITHVS,

EX QVAKERIS

OPVGNAT, REFVTATUR,

D. O. M. A.

SVB PRAESIDIO

GVILIELMI BAJERI,
COL. D. ET PROF. PVBL.

*ac Praeceptoris sui aetatem
suspiciendi,*

EXAMINI SUBJICIENDA

AB

CTORE ET RESPONDENTE

Bergmann / SS. TH. STVD.

LAIZA VARISCO,

IENÆ

MAII M. DC. LXXXIV.

Mai 1684

